



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [1] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [3] - -
PUBLIC DOMAIN

Legatiuæ ordinariæ antiquæ symbola p. 35
Fidei exploratio multa periculum
artificio Marii p. 39
Jovis responsum mutuatum p. 43
Legi vocatio, idem fibi placere p. 59
Repreſſalia legatorum Ephesiacorum p. 63
Caroly V. in Gallia ad petitionem Francisci I
necati Bavuy et nobiles p. 130
An Nuncii alterius principis subditi ejusdem potest
p. 131
De Legatis Electorum et ppm p. 181
Evasa Visconthi regis Arragonum juris
civilis p. 245

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 80

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

Verf.: Richard Zouch

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

JURIS ET JUDICII

FECIALIS,

SIVE,

JURIS INTER GENTES,

ET

Quæstionum de eodem explicatio.

QVA,

Quæ ad Pacem & Bellum inter diversos Principes, aut Populos spectant, ex præcipuis Historico-jure-peritis, exhibentur.


Opera R. Z.

AUTHORIS ELEMENTORUM JURIS-PRUDENTIÆ.



LUGD. BATAVOR.
Apud PHILIPPUM DE CRO-Y,
M. DC. LI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [7] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

AD LECTOREM.

AUTHOR *Elementorum Iurisprudentiæ pro ratione Communionis humanæ, Iuris & Iudicii fundamenta exhibere instituens; primùm pro Communione in genere, Iuris & Iudicii principia generalia: Deinde pro ea, quæ inter personas Privatas, nec non; quæ Privatis cum Principibus intercedit; cum Privati, tum Publici Iuris, & Iudicii regulas tradidit. Posteà pro Communione speciali, utpote Sacra, quæ Religionem, & Pias causas; Militari quæ Militiam armatam & Civilem; Maritimam, quæ Navigationem, & Negotiationem, & Feudalem quæ fidelitatem, & Pacem respicit, Iuris & Iudicii Sacri, Militaris, Maritimi, & Feudalis descriptiones contexuit: Atque in prioribus ad Iuris Civilis authoritates se astrinxit, ad postremam, scilicet Feudalem, Consuetudines Mediolanenses & Normanicas applicuit: Tandem ad Explicationem eorum quæ ad Communio-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

nem, quæ inter diversos Principes, aut Populos intercedit, conducunt, perrecturus, alios authores nimirum Historico-jure-peritos consulere necesse habuit. E quibus Albericum Gentilem, & Hugonem Grotium pro Coryphæis habendos duxit, utrumque omnis generis eruditione insignem, quorum ille ad Iuris, hic ad Rationis trutinam quæ tradit expendit. Alios etiam Authores pro subjectâ materiâ adhibuit, & propositis primùm quæ sunt minus dubitati juris, ea quæ videbantur juris controversi ad quæstiones redegit. In quibus à statuendo quicquam pro suâ sententiâ abstinuit; Consultiùs Academiæ Socraticæ institutum imitari ratus, quæ post causas, & rationes allatas, & quid in unaquaque parte dici possit expositum, Audientium judicium integrum atque liberum reliquit. Hæc qualiacunque sunt, Divina favente Clementia, pro Muneris quod aliquandiu in Academia sustinuit officio, in Iuventutis studiosæ gratiam otio non alias fælici composuit. Quæ si aliis in usum, nec sibi in præjudicium cedant, quod in voto habuit, consequetur.

PARS

PARS PRIMA.

Sect.

1. DE Iure inter Gentes, & de Iure Pacis. Pag. 1
2. De Statu inter eos quibuscum Pax est, Ubi de Imperio Civili, Amicis, & Sociis. 6
3. De Dominio inter eos quibuscum Pax est, ubi de Acquisitione Civili mobilium, & immobilium. 12
4. De Debito Civili inter eos quibuscum Pax est, utpote de Iure Congressus, Legationis, & Fœderis Civilis. 20
5. De Delicto inter eos quibuscum Pax est, utpote circa Personas, Res, aut Debita. 51
6. De jure Belli solennis, & minus solennis, ut Repræsaliarum. 61
7. De Statu inter eos quibuscum Bellum, ubi de Imperio militari, Inimicis, & Hostibus. 65
8. De Dominio inter eos quibuscum Bellum, ubi de Acquisitione militari mobilium & immobilium. 75
9. De Debito inter eos quibuscum Bellum, utpote de Congressu, Legatione, Conventione, & Fœdere militari. 86

10. De Delicto inter eos quibuscum Bellum, utpote ex Causa, Prosequutione, vel Executione injusta. 104

PARS SECVNDA.

SECT. I.

De Iudicio inter Gentes, & de Quæstionibus Pacis.

Quæst.

1. AN cum omnibus pacem habere liceat? 113
2. Utrum à Pace, an à Bello aliquando majus sit incommodum? 114
3. Utrum Pax iniqua æquo bello sit præferenda? 115
4. An inter vicinorum arma, Pax sit affectanda? 116

SECT. II.

De Quæstionibus Status, inter eos quibuscum Pax est.

Quæst.

1. VTrum Imperator Germanicus, etiam Roman. dicit possit? 117
2. Utrum Dignitas Imperatoria pendeat à Coronatione Pontificia? 120
3. Utrum Imperator in Reges, & Principes alios Imperium habeat? 122

4. Utrum

4. *Utrum Princeps, vel Populus Clientela, vel inæquali fœdere ſtatum mutet?* 124
5. *Utrum Principis vel Populi Majeſtati deroget, Leges aliunde admittere?* 125
6. *Utrum Princeps in alium Principem in ſuo territorio Imperium habeat?* 128
7. *Utrum idem Populus cenſendus ſit, mutato imperio?* 129
8. *An mutatione Loci mutetur Populus?* 130
9. *An Princeps Subditum ſuum, in territorio Principis alterius, nobilitare poſſit?* ibid.
10. *Utrum Subditus, cui ab externo Principe Honor delatus eſt, eodem apud ſuos gaudere debeat?* 131
11. *Utrum cum Idem Princeps duobus regnis præeſt, in altero regno natus, in alio jus Subditi obtineat?* 134
12. *An Civi, vel Subdito Civitatem, aut patriam, venia non impetrata, deſerere liceat?* 136
13. *Utrum idem duarum Civitatum ſimul Civis eſſe poſſit?* 137
14. *Utrum qui in regno externo diu moratus eſt, & familiam contraxit, patriæ in qua natus eſt, renuntiaſſe cenſendus ſit?* 139
15. *An qui in regno externo natus eſt, à paterna Origine jus ſubditi conſequi debeat?* 142

Signatur: Leibn. Marg. 80, [13] - -

16. Cujus Subditus sit, qui à suo Populo deditus, ab altero receptus non est? 144
17. Utrum Profugus, qui in alterius Principis obsequium transiit, Patriæ Legibus teneatur? 146

Sect. III.

De Quæstionibus Dominii in eos quibuscum Pax est.

Quæst.

1. Utrum immissione jaculi rei possessio acquiri possit? 147
2. Utrum Mare occupari possit? 148
3. Utrum ad Littus ejecta Principibus, vel territorii Dominis occupare liceat? 150
4. An Urbs de novo condita cedat Regioni? 152
5. An de Dominio & jure ex Conjecturis statuere liceat? ibid.
6. An ex titulo antiquo possessio nova sit decernenda? 154
7. An de Dominio inter alios Arbitri, pro suo jure pronuntiare possint? ibid.
8. Utrum inter diversos Principes procedat usucapio vel Præscriptio? 157
9. Utrum jus in regna Occidentis ad Romanum Pontificem ex Donatione Constantini translatum sit? 158

10. Utrum

10. Utrum Ius ad Indorum Regiones Regi Hiſpano ſoli competat. 160
11. E Regum filiis æter in ſucceſſione præferendus ſit, qui ante adeptum regnum, an qui poſtea natus eſt? 162
12. An in ſucceſſione ad regnum Nepos ex filio priore, ſecundo filio ſit præferendus? 163
13. Utrum Nepotem ex ſorore defuncti, Patruëlis, à ſucceſſione ad regnum excludere debeat? 165
14. An Nepos ex ſorore, Patrui filio, in ſucceſſione ad regnum ſit præferendus? 167
15. Utrum ſtirpe recta deficiente, ſtirpis proximæ Princeps, an gradu proximior in regno ſuccedere debeat? 169
16. Utrum Iohanne Willielmo Duce Cliviæ, & Iuliaci defuncto, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgenſis, vel Ducis Neoburgenſis, jus ſuccedendi potius fuerit? 172

Sect. IV.

De Quæstionibus Debiti inter eos quibuscum Pax est.

Quæst.

1. VTrum Principes de Loco, & præcedentia contendere deceat? 177
2. Utrum Locus potior pro numero, an pro præstantia Dignitatum debeatur? 178
3. An Locus potior ei qui ampliorem, an ei qui antiquiorem dignitatem obtinet, sit concedendus? 180
4. Utrum Legato Principis superioris absentis, Princeps inferior præsens, præferendus sit? 181
5. Utrum Superiori Electo, nondum confirmato Rex inferior cedere debeat? 182
6. An in Colloquiis, & Literis Serenissimi titulus iis adhibendus sit, qui non sunt Reges? 183
7. An qui Imperium summum non habent, Legatos mittere possint. ibid.
8. Utrum Religiosi, & Clerici ad Legationes civiles obeundas sint habendi? 185
9. An fœminis Legationes mandari possint? 187
10. An Legatio ex causa privata sit decernenda? 189
11. An Legatis permittendum Uxores secum ducere? 191

12. An

12. *An per partem Legatorum Legatio peragi possit?* 193
13. *An Legatum aliquando non admittere liceat?* 194
14. *An Legatus pro utilitate publica, præter mandatum, aliquid agere possit?* 195
15. *An Princeps ex eo teneatur, quod Legatus agit præter mandatum arcanum?* 197
16. *An Legatus admittendus sit ad procurandum causas subditorum Regis sui?* 198
17. *An Legato mendaciis uti liceat?* 199
18. *An Legatis securitas debeatur ab aliis, quam ad quos missi sunt?* 201
19. *An Exuli ad Principem suum Legato securitas debeatur?* 202
20. *An Legatus, in loco ubi Legationem obit, actione civili, conveniri possit?* 203
21. *An ex domo Legati, delicti reos extrahere liceat?* 204
22. *An Legatus delinquens ad suum Principem remittendus sit?* 206
23. *Utrum Princeps, per interpositam personam, matrimonium validè contrahat?* 208
24. *An fœdus inire liceat cum iis qui alieni sunt à Religione?* 209
25. *An Princeps, qui promisit auxilia, cum*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [17] - -
PUBLIC DOMAIN

commodè præstare non possit, teneatur? 210
26. An Commercii sive Negotiationis privilegia, de quibus cum exteris convenit, revocare liceat? 212
27. Utrum fœdus quo cautum est de Sociis, ad futuros Socios sit extendendum? 213
28. Si Socii bellum gerant, utri potius auxilium sit ferendum? 214
29. An ex fœdere teneantur successores? 215
30. An Conventiones, & fœdera inter Principes strictam, an ex æquo & bono interpretationem accipiant? 216
31. An Iuramentum dolo elicitum obliget? 217
32. An Iuramentum metu extortum obliget? 218

Sect. V.

De Quæstionibus Delicti inter eos quibuscum Pax est.

Quæst.

1. Utrum Injuriæ à Subditis illatæ, Principem vel Populum afficiant? 219
2. Utrum Delictum Principi sit imputandum, qui alibi delinquentem recipit? 220

3. Utrum

3. *Utrum Profugum Delicti in Patria reum, Princeps territorii, in quo repertus est, remittere teneatur?* 221
4. *Utrum pro Delicto Universitatis successores teneantur?* 223
5. *Utrum à Principe ulciscendæ sint injuriæ, quas cum privatus esset, à subditis sustinuit?* ibid.
6. *Utrum contra Amicitiam committat, qui vires auget, aut in suo territorio arcem facit?* 225
7. *An sit contra Amicitiam Subditos alienos recipere?* 226
8. *An iis quibuscum est Amicitia, transitus sit denegandus?* ibid.
9. *An iis quibuscum est Amiticia Commercium interdicere liceat?* 227
10. *An res alienas aliquando invitis Dominis capere liceat?* 228
11. *Utrum Exteris aliquandò territorium alienum invadere liceat?* 230
12. *Utrum Exteris oppressis contra Socios auxilium ferre liceat?* ibid.
13. *An promissa in fœdere aliquando non liceat observare?* 232

SECT.

Signatur: Leibn. Marg. 80, [19] - -

Sect. VI.

De Quæstionibus Belli.

Quæst.

1. AN Bellum aliquod sit licitum? 233
2. An Bellum utrinque justum esse possit? 234
3. An Bellum moveri possit ab eo qui supremam potestatem non habet? ibid.
4. An ex causa vetusta bellum movere liceat? 235
5. Utrum Elizabetha Regina Angliæ, Belgarum, contra Regem Hispanum, patrocinium justè susceperit? 236
6. Utrum Subditis contra Legitimum regni successorem Religionis causâ conjurare liceat? 238
7. An Repræsaliæ sint licitæ? 240

Sect. VII.

De Quæstionibus Status inter eos quibuscum Bellum.

Quæst.

1. AN Hostes habendi sint, qui contra naturam delinquunt? 241
2. An Hostes habendi sint, qui alieni sunt à Religione? 242
3. An qui ab Origine subditus fuit Inimici, apud Amicos degens, amicus censendus sit? 243

4. An

4. *An qui ab Origine Amici fuit ſubditus, apud Inimicos domicilium habens, inimicorum ſubditus ſit habendus?* 244
5. *Utrum ad militiam Hoſtium proficiſcentes, tanquam Hoſtes tractare liceat?* 245
6. *Utrum Exteri qui cum Subditis contra Principem militant, Rebelles ſint habendi?* 246
7. *Utrum Belgæ Subditi, cum quibus Rex Hiſpaniæ, tanquam liberis tractare conſentiit, à Dominio ejus immunitatem conſequuti ſint?* 247

SECT. VIII.

De Quæſtionibus Dominii inter eos quibuſcum Bellum eſt.

Quæſt.

1. AN *Res ab Hoſtibus captæ, capientium fiant, antequam deductæ ſunt intra præſidia?* 249
2. *An Res ab Hoſtibus captæ, in Amicum territorium delatæ, prioribus Dominis ſint reſtituendæ?* 250
3. *An Res captæ habendæ ſint, quæ à perſequentibus evadere non potuerunt?* 252
4. *Utrum eorum bona, quorum Oppida, aut agri ab Hoſtibus occupantur, deprædari liceat?* 253

§. An

5. An Amicorum bona in navi Hostili capere liceat ? 254
6. An Amicorum naves Inimicorum bona deferentes prædæ cedant ? 255
7. An Res Amicorum, ad Hostes transeuntes, intercipere liceat ? 256
8. Utrum prohibita specie, ne ad Hostes deferatur, materiam ex qua conficitur species, intercipere liceat ? 258
9. An cum prohibetur quid deferri ad Hostes, si rei prohibitæ accessorium deferatur, capere liceat ? 259
10. Utrum bona prohibita deprehensa in via ad locum hostilem, prout destinata ad hostes, capi possint ? 260
11. Utrum iis, quibus concessum est capere transeuntes ad hostes, capere liceat ab hostibus redeuntes ? 261
12. Utrum Herbam Nicotianam, vulgò Tobacco, ad Hostes transferre liceat ? 262
13. Utrum licitum, propter illicitum incidat in commissum ? 264
14. Utrum quod Nautæ Principis alterius navi bellicæ vela non submittant, Navis pro præda capi possit ? ibid.
16. Utrum Res à Piratis recuperatæ prioribus Dominis sint restituendæ ? 266
16. Utrum in Direptione Urbis, ei qui primus domum invasit, an ei qui postea in domo latentem cepit, redemptionis pretium

pretium debeatur? 267
17. *An qui militi Equum præbuit, prædæ ab eo captæ particeps esse debeat?* 269
18. *Si captus in prælio denuò capiatur, cui-nam Redemptionis pretium debeatur?* 270
19. *An Princeps à milite privato captus, ab eo detineri possit?* 272
20. *An Civitas bello capta amittat jura?* 273
21. *Utrum Ferdinandus Rex Hispaniæ, regnum Navarræ, pulso Iohanne Albretano Rege, justè occupaverit?* 274
22. *Utrum Philippus II., Rex Castellæ, Antonium Regem, regno Portugalliæ, justè ejecerit?* 276
23. *Utrum Lusitani regnum Portugalliæ à Philippo IV., Hispaniæ Rege, ad Iohannem Ducem Bragantiæ justè transtulerint?* 278
24. *Utrum Ferdinandus à Bohemicis abdicatus regnum armis justè occupaverit?* 281
25. *Utrum Ferdinandus Imperator, Fredericum Palatinum, & liberos Electoratu, & ditionibus justè ejecerit?* 283
26. *Utrum Rex Sueciæ cum Exercitu Germaniam justè invaserit?* 286

SECT.

Sect. IX.

De Quæstionibus Debiti inter eos quibuscum Bellum est.

Quæst.

1. *Utrum singulari certamine controversias inter Principes dirimere liceat?* 291
2. *An Rex in possessione regni, ab eo qui jus ad regnum prætendit, provocari possit?* 292
3. *An Dux Exercitus ab Hoste provocatus, duellum cum honore declinare possit?* 293
4. *An miles inferioris gradus, militem superioris ad duellum provocare possit?* 294
5. *An in bello publico provocatus ad duellum, privatæ amicitiæ causa, declinare possit?* 296
6. *An qui die ad duellum constituto serò in campum prodiit, causa cecidisse judicandus sit?* 298
7. *An Hostes persequi liceat in Amici territorio?* 299
8. *Utrum in Hostili solo captum, ducere liceat, per Amici territorium?* 300
9. *An Exteros in Hostili solo deprehensos offendere liceat?* 301

10. *An*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

10. *An ex perſiſtendo in loco pugnæ de victoria ſtatuendum ſit?* 302
11. *An pro qualitate eorum qui cæſi, vel capti ſunt, an pro numero victoria habenda ſit?* 303
12. *An qui novis copiis ſupervenientibus ceſſerint, victi cenſendi ſint?* 304
13. *An præmium ei conſtitutum, qui alterum occiderit, & ei qui alterum in fugam egit, debeatur?* 305
14. *An ſi præmium ei propoſitum ſit, qui primus urbis muros conſcenderit, ſi duo ſimul conſcendant, utrique debeatur?* 306
15. *An fœcialis ad exteras regiones tranſiens, veniam impetrare teneatur?* 308
16. *Utrum cum iis qui non ſunt juſti hoſtes, ſit jus Legationis?* 309
17. *An in caſtra & loca obſeſſa Legati Hoſtium admittendi ſint?* 310
18. *An Legatum ad Hoſtem tranſeuntem intercipere liceat?* 311
19. *An Securitas itineranti conceſſa, paranti ſe ad iter debeatur?* 312
20. *An cum ſecuritas eundi data eſt, etiam redeundi conceſſa intelligatur?* 313
21. *An Securitas eundi data, ad primum duntaxat eundi actum, ſit reſtringenda?* 314
22. *An ſecuritate eundi alicui data, is poſſit alium*

alium mittere? 315
23. Utrum Securitatem in pace datum bello erumpente violare liceat? 346
24. An dimissus sub conditione revertendi, si alter pro ipso non reddatur, teneatur reverti, si alter interim moriatur? 317
25. Utrum tempus Induciarum à momento, vel à die sit computandum? 318
26. An qui post tempus Induciis præstitutum, ex necessitate, in loco Hostili repertus est, belli incommodis sit obnoxius? 320
27. Utrum Inducias violatas intra tempus Induciarum ulcisci liceat? 321
28. An Mulieres captæ pretio sint redimendæ? 322
29. An qui injusto prælio capti sunt, majori pretio, quam qui alias in bello capti, redimendi sint? 323
30. An miles privatus, id quod hostis ob redemptionem pactus est, præstare teneatur? 325
31. An Conditiones Deditionis in Duce concessæ à suprema potestate præstandæ sint? 327
32. An serius se dedentes sint recipiendi? 328
33. An qui militibus libertatem pactus est Ducem detinere possit? 330
34. An qui pactus est Exercitum abire, subditos suos in exercitu, militantes, detinere possit? ibid.
35. An

35. An iis qui fidei, & clementiæ ſeſe dedunt, vita ſit præſtanda? 331
36. An dedentes ſe pacti de vita, vel incolumitate, Servi fieri, vel captivi detineri poßint? 334
37. An mulieribus, quibus permiſſum, ſecum portare quod poſſent, viros exportare licuerit? 335
38. An pacti cum veſtibus exire, cum armis exire poßint? 336
39. An Licentia perſonis conceſſa, ad bona extendatur? 338
40. An Deditio partis poßit reliquis? ibid.
41. An miſſus ut Deditione ageret, conditionibus eo abſente factis, teneatur? 339
42. An Error circa Executionem Deditionis, ipſam irritam faciat? 341
43. An Deditos tanquam proditores, Is cui deditio facta eſt punire poßit? ibid.
44. An fœdera, vel Sponſiones, quæ à Ducibus fiunt, Principem vel populum obligent? 342
45. An ſi Sponſio Ducis ſummæ poteſtati diſpliceat, ii quibus facta eſt in eundem ſtatum ſint reſtituendi? 343
46. An quæ Captivi paciſcuntur, in libertate poſiti, præſtare teneantur? 344
47. An cum conventi in Pace id alicui reſtituendum, quod ante bellum poſſedit, de bello incepto, an de bello renovato intelli-

intelligendum sit ? 345

48. *Utrum cum convenit, ut in Pace loca possiderentur, quæ in bello possidebantur, Pagi, & Villæ Oppidis vicinæ includantur ?* 346

49. *Utrum cum convenit in Pace de Locis captis restituendis, Oppidi, quod antiquitus ad regnum capientis pertinuit restitutio sit deneganda ?* 347

50. *Utrum cum convenit, de Bonis, vel eorum valore restituendis, sufficiat, (cum bona quæ extant vindicantur) valorem eorum offerre?* 349

51. *Utrum Bonorum, quæ casu fortuito, quem præcessit incuria, perierunt, pretium sit restituendum ?* 351

52. *An qui Civitatem salvam fore promiserunt, Urbem destruere possint ?* 352

53. *An provocato, pacto Pacis contravenire liceat ?* 354

54. *An Obsides dati liberent à fide jurejurando præstita ?* 355

55. *An Obses detineri possit, mortuo eo, pro quo datus est ?* 356

56. *An qui dederunt Obsides fugientes recipere possint ?* 358

SECT.

SECT. X.

De Quæstionibus Delicti inter eos quibuscum Bellum est.

Quæst.

1. AN Bellum aliquando omissa Indictione movere liceat? 360
2. An post Denuntiationem bellum statim movere liceat? 362
3. An in bello Dolo uti liceat? 363
4. An apud Hostes falsiloquio uti liceat? 365
5. An veneno Hostes tollere liceat? 366
6. An Hostem immisso percussore interficere liceat? 368
7. An hostium superstitione ad eorum periculum abuti liceat? 369
8. An jus talionis inter hostes locum habeat? 370
9. An in deditos, qui inutili defensione hosti negotium facesserunt, sævire liceat? 372
10. An eos, qui de Deditione agentes interim munitiones parant, & hostilia agunt, severius tractare liceat? 373
11. An cum hoste, qui se dedidit, infido & inconstanti, severiùs agi possit? 374
12. An captos qui coërceri non possunt, interficere liceat? 375

13. An

13. *An bis captis parcendum sit?* 376
14. *An Obsides, ob delictum eorum à quibus dati sunt, interimere liceat?* ibid.
15. *An in fœminas & pueros bello victos sævire liceat?* 377
16. *An fœminis, quæ armatæ virorum munia obierunt, sit pacendum?* 378
17. *An stupra in fœminas bello victas admittere liceat?* 379
18. *An Sacerdotes in bello captos, durius tractare liceat?* 381
19. *An res sacras & religiosas in bello violare liceat?* 382

DE

DE IVRE INTER GENTES: ET DE IVRE PACIS.

PARS PRIMA.

SECT. I.

Ius inter Gentes est, quod in communione inter diversos Principes, vel populos, penes quos est imperium, usurpatur. Quod scilicet, Moribus rationi congruis inter Gentes pleraſque receptum est, & id in quod gentes ſingulæ inter ſe conſentiunt, & obſervatur inter eas quibuſcum Pax est, & inter eas quibuſcum Bellum. Pax est, inter diverſos Principes, vel populos juſta Concordia, ex qua alii cum aliis ſecurè agunt, ejuſque jus, Statum, Dominium, Debitum & Delictum inter eos quibuſcum Pax est, reſpicit.

QVOD naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utuntur, in-

quit *Gajus* Juriſconſultus, eſtque primum, quo ſingularum gentium populi communiter inter ſe utuntur; utpote cum apud ſingulos Homines, alii liberi, alii ſervi; res aliæ communes, aliæ in privato dominio perſonæ; alii ex contractibus, alii ex delictis obligati cenſentur. Deinde quod inter Principes, vel populos diverſarum gentium communiter intercedit, cum ex hoc jure, uti refert etiam Juriſconſultus, Gentes diſcretæ ſunt, regna condita, commercia inſtituta, & denique bella introducta. Quod eſt poſterioris generis, Jus inter gentes placet appellare, quod apud Romanos, ſpeciali nomine, Jus Fœciale; ab Æquicolis, antiqua gente traditum, vocabatur; ejuſque juris cognitionem, *Cicero* præſtabilem ſcientiam dixit, quæ in conditionibus Regum, populorum, exterarumque nationum, in omni denique jure Pacis, & Belli verſatur. Collegium enim Fœcialium, ut tradit *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, à Numa Pompilio inſtitutum eſt, & eorum officio demandatum eſt, ut de Pactionibus, fœderibus, de injuriis, ſociis, aliiſque illatis cognoſcerent, de Legatis mittendis, de rebus repoſcendis, de Amicitia renuntianda, de bello indicendo conſulerent, &

quod

quod decretum esset, pro officio exequerentur. De hoc jure libri qui conscripti sunt, interierunt, Ejus tamen vestigia, ex libris sacris, ex pandectis, & codice Juris Romani, ex authoribus Græcis, Latinis aliisque (quorum sententiæ, & testimonia, quid secundum naturalem rationem, gentium moribus, circa res hujusmodi receptum fuerit, suffragantur) deprehendi possunt, quia cum multi diversis temporibus, ac locis idem affirmant, id ad causam universalem referri debeat, quæ alia esse non potest quam recta conclusio ex naturæ principiis proveniens, aut communis aliquis consensus, è quibus illa jus Naturæ indicat, hic jus gentium. Deinde præter mores communes pro jure etiam inter Gentes habendum est, in quod gentes singulæ cum singulis inter se consentiunt, utpote per pacta, conventiones & Fœdera, cum communis Reipubl. sponsio legem constituat, & populi universi, non minus quam singuli suo consensu obligentur.

2. Deinde hoc jus inter gentes, obtinet inter eas gentes, aut populos, penes quos est Imperium, vel universalis & summa potestas de iis quæ ad communionem inter gentes cum in pace, tum in

bello ſpectant, decernendi; quia hujuſmodi imperio, ſingulæ perſonæ, familiæ & gentes in unum corpus rediguntur, unde omnes idem velle & facere intelliguntur. Multi vero, ſeu plures homines extra imperium, quorum unuſquiſque habet propriam voluntatem, non ut populus, ſed ut perſonæ ſingulæ agunt, ita ut quot ſint homines, tot ſint actiones, atque aliquis in illa multitudine exiſtens, ſi iis quæ facta ſunt, non conſenſerit, neque opem tulerit, non feciſſe cenſendus eſt.

3. *Pax eſt*, uti tradit *Auguſtinus*, *ordinata concordia*, quod intelligi poteſt, de Pace in genere, cujus ſpecies alii accuratius diſtinguunt, prout ordo ſuperiores reſpicit, vel æquales; prioris generis habentur Pax Moralis, cum hominis affectus, cum ratione domeſtica; cum membra familiæ, cum Capite, vel Patre familias: & Civilis, cum ſubditi cum Principe conſentiunt. Poſterioris generis ſunt, vicini cum vicino, Civitatis cum civitate, Regni cum regno concordia. Pacis cujuſque cauſa & comes eſt Juſtitia, ita *Regius Propheta*, de Beato ſæculo. Miſericordia, inquit, & veritas in unum coierunt, Juſtitia & Pax ſe invicem deoſculatæ ſunt; effectus Pacis ſunt, ut alii cum aliis ſecurè agant, & ut cuique

cuique liberum sit suo jure, sine molestia aut impedimento uti, unde à *Cicerone* Pax definitur, libera tranquillitas, & inter Numina quæ Romæ colebantur, post concordiam, & Pacem quies celebrabatur, in eo quod Poëtæ fingebant aureo sæculo, universi generis humani conditio pacis compos ferebatur, quod tum omnes homines justi, & innocentes habebantur, cum, ut *Arnobius* tradit, si omnes nationes rationis decretis pacificis auscultarent universus orbis in tranquillitate degeret. Postquam vero ex prava ratione, & perversis moribus, alii erga alios malè affecti sunt, & qui superiorem non agnoscunt, non habent à quo cohibeantur, evenit, ut pax inter eos Principes, aut populos duntaxat interveniat, qui à molestiis, & injuriis abhorrentes in concordiam justitiæ congruam quasi speciali quadam propensione, coaluerunt.

Vid. 1. D. *de Iustit. & jure. l.* 9. *l.* 5. D. *eod. Dionys. Halicarn. l.* 2. *Rosin. lib.* 3. *c.* 21. *Bodin. lib.* 5. *cap. ult. Gentilem lib.* 1. *cap.* 1. *Grotium in Prolegom.*

2. *Bodinum lib.* 1. *cap.* 1. *Hobbium de Cive cap.* 6.

3. *Conradum Brunum de seditiosis. l.* 1. *cap.* 2. §. 8.

SECT. II.

De Statu inter eos quibuſcum Pax eſt.

Status inter eos quibuſcum Pax eſt, eſt conditio eorum inter ſe, & cum aliis; conditio inter ſe eſt quâ Civili imperio ſubjiciuntur, quale eſt Paternum, Regium & Populare; Conditio cum aliis eſt, ex qua alii Amici vel ſocii habentur.

1. AD Communionem inter Gentes pertinet, primum ſtatus, vel conditio populorum inter ſe, quæ ab ordine, & regimine pendet, & quatenus ſpontè, & inter volentes exiſtit, Imperium civile appellari poteſt, quale fuit primum Parentum imperium, quod ex procreatione liberorum, & propagatione familiarum proceſſit, quod pleno jure competebat Patri-familias, ad procurandum ea, quæ ad ſui, & familiæ utilitatem conducebant. Deinde cum ex numeroſa prolis propagatione gentes exiſterent, & primoribus in deſcendentes poteſtas competeret, (nam appellatione parentum, etiam avus, & proavus & deinceps omnes aſcendentes continentur) evenit, ut in gentes integras

tegras hujuſmodi imperium diffunderetur, unde ut in ſacris literis plurium familiarum primores Patriarchæ, ita in jure Civili, Principes familiarum inſigniuntur. Hoc regimen in rebus civilibus à primævis parentibus uſque ad Nimrodi tempora, quemadmodum poteſtatem in rebus ſacris veteris Teſtamenti, apud Patriarchas, ſeu Capita familiarum in ſuis cognationibus, ante & poſt diluvium uſque ad Moſen permanſiſſe Theologi tradunt.

2. Regium imperium, eſt poteſtas unius in populum quæ aliquando abſoluta erat, quam Ariſtoteles Παντοκρατορίαν vocat, cum unus ad utilitatem communem, omnia ex voluntate agere, & imperare potuit, nec cuiquam rationem reddere tenebatur, unde ut αὐτοκρατῶς, ſive in ſe ſufficiens, ita & ἀνυπεύθυνος, id eſt, nullius authoritati obnoxius, dicebatur, cujuſmodi imperium ad exemplum Paterni inſtitutum tradit. De quo etiam *Juſtinus*, Principio, inquit, rerum, Gentium, nationumque imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujuſmodi majeſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat, populus nullis legibus tenebatur, arbitria princi-

pum pro legibus erant, intra ſuam cuique patriam regna finiebantur. Et de regimine Romano, *Pomponius* Jureconſultus, initio quidem noſtræ civitatis populus ſine lege certa ſive jure certo primum agebat, omniaque manu à Regibus gubernabantur. Deinde poteſtas Regia erat alia legibus conformis, quale imperium erat quod *Ariſtoteles* Heroïcum appellat; alia etiam magiſtratibus obnoxia, veluti Regum Lacedæmoniorum, Ephoris; alia tempore vitæ, ut primorum Regum Romanorum, terminabatur.

3. Tertiò, Populare imperium eſt ubi populus, à Principis cujuſque authoritate liber, & immunis, univerſam poteſtatem penes ſe retinet, quemadmodum exactis Regibus, erat penes Populum Romanum; & vel paucis virtute præcellentibus, qui optimates dicuntur, conceditur, quæ ſpecies imperii *Ariſtocratia* dicitur; vel ab univerſis omnium ſcil. vel majoris partis ſuffragiis, exercetur, quæ ſpecies *Democratia* appellatur. Denique Principes, & populi penes quos eſt imperium, alii majores, & potentiores ſunt, quorum copiæ latius diffunduntur; aliæ minores, & imbecilliores, quorum vires anguſtioribus finibus includuntur.

Secun-

Secundo, ſtatus vel conditio Principum, vel populorum cum aliis in pace, eſt ex qua Amici aut Socii habentur. Nam quemadmodum de privatis tradit Jureconſultus, Amicos eſſe accipiendos, quibuſcum ſunt jura honeſtis familiaritatis rationibus quæſita, ita inter diverſos Principes, vel populos ratione ejuſdem originis, vicinitatis regionum, communis linguæ, benefaciendi ſibi invicem opportunitatis, & ſimilium, cum aliis, præ aliis familiarius agitur, unde ex amicitia competit jus Hoſpitii, & Commercii; ita *Pomponius* Jureconſultus ait, Gentes eſſe cum quibus neque Amicitiam, neque Hoſpitium habemus, & ſolebant Romani aliquos pro beneficio hoſpitio donare, ita cum Legati eorum qui craterem aureum donum Apollini Delphos ferebant, à piratis intercepti Liparas devecti eſſent, ubi partam prædam dividere mos erat, & Timaſitheus qui eo anno in ſummo magiſtratu erat, Legatos in publicum hoſpitium adductos, cum præſidio navium Delphos proſequutus, domum inde ſoſpites reſtituiſſet. Hoſpitium cum eo ex Senatuſconſulto factũ eſt, donaq; ei publicè data. Ad Commercium ſpectat quod Acco in Concilio Ætolorum, pro Amicitiâ

cum Perseo Macedoniæ Rege habenda disseruit, Opportuni, inquit, propinquitate Macedoniæ sumus commercium juris præbendi, repetendique sit, ne interdictione finium nostrorum, nos quoque regno, id est, Macedonia, arceamus. Quod & fusius *Bodinus* explicat, ut liceat, in aliorum fines ire, agere, negotiari, res rationesque contrahere, & liberam mercaturam quarundam rerum, aut omnium ultrò citroque exercere. Cum, uti *Proculus* ait, Alii apud nos libertatem suam, atque Dominium rerum suarum, æque atque apud se retineant, & eadem nobis apud eos contingant.

5. Deinde, sicut inter privatos, veluti inter ejusdem familiæ consortes, & cohæredes, societas habetur, ex qua lucri & damni communis participes ad se invicem juvandum sunt astricti, ita: inter diversos Principes, vel populos ad sustinendum securitatem communem, & ad arcendum impendens periculum, quod ad omnes ejusdem Agnationis, Religionis, Conditionis, &c. pertinere potest, arctius societatis vinculum intercedit, ex quo invicem vires, & auxilia conferre parati sunt, cum, ut Annibal in Concilio Antiochi, communis utilitas Societatis maximū sit

vincu-

vinculum; itaque cum Philippus Macedoniæ Rex Athenienſibus bellum intulit, Thebani ultro ſe junxere, Athenienſes vero Legationibus totam Græciam fatigabant, inquit *Curtius*, communem hoſtem communibus viribus ſubmovendum exiſtimantes, ita etiam Campani pro Sidicinis, contra Samnites, inquiunt, Pugnavimus, verbo, pro Sidicinis, re, pro nobis, cum videremus finitimum populum, nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagraſſent vicini, incendium illud ad nos trajecturum eſſe. Romani Reges exteros cum quibus pacem colebant, & præclarè de ipſis meritos, pro honore, Amicos, & Socios compellabant. Ita, cognitis Ptolomæi, in bello contra Tacfarinatem, ſtudiis, repetitus à Tiberio vetuſtus mos eſt (inquit *Tacitus*) miſſuſque unus è Senatoribus, qui ſcipionem eburneum, togam pictam antiqua Patrum munera daret, Regémque, & Amicum, & Socium appellaret. Cum verò Vermina, filius Syphacis, qui auxilium Carthaginienſibus præbuiſſet, à Senatu Romano peteret, ut Rex, Sociúſque, & Amicus appellaretur, reſponſum eſt, Patrem ejus ſine cauſa, ex amico & ſocio hoſtem repente populi Romani factum, & ipſum, in bello laceſ-

Signatur: Leibn. Marg. 80, [41] - 11

sente Romanos adoleſcentiæ rudimentum poſuiſſe, itaque pacem illi prius petendam, quam ut Rex, Amicus, Sociuſque appellaretur, ejus nominis honorem, pro magnis erga Rempublicam meritis dari.

Vide 1. *Bodinum lib.* 1. *cap.* 4. *Lambard. Archion, c.* 1. *D. Prideaux Introduct. ad Hiſtoriam Monarch.* 1. *Bucanum Loc. Commun.* 42. §. 6.

2. *Ariſtot. Politic. lib.* 3. *cap.* 11. *Juſtinum lib.* 1. *in princip.*

3. *Ariſtot. Polit. lib.* 3. *c.* 5. *&* 10. *Bodinum lib.* 2. *cap.* 1. 2. *&c.*

4. *Arniſæum de jure Magiſtratus, lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *Gentilem lib.* 1. *cap.* 15. *lib.* 3. *cap.* 8.

5. *Curtium lib.* 1. *&c.*

SECT. III.

De Dominio inter eos quibuſcum Pax eſt.

Dominium inter diverſos Principes, vel Populos quibuſcum Pax intercedit, eſt, Ius quod in rebus præcipuè territoriis, abſque aliorum præjudicio ſeorſim obtinet, cujuſmodi Ius vel Plenum, vel Hæreditarium, vel uſu-fructuarium tantum habetur.

1. AD Communionem in pace pertinet etiam Dominium, jus ſcilicet,

licet, quod in rebus, Principibus & populis absque aliorum injuria, aut damno competit, cujusmodi dominium in bonis mobilibus, iisdem modis plerumque, quibus inter privatos contingit. Nec multum dissimiles sunt modi, quibus etiam res immobiles, veluti urbes, & regiones in eorum dominium veniunt, quæ cum in iis imperium, vel potestas in personas exercetur, territoria & regna appellantur, & vel pleno jure, vel hæreditario, vel usu-fructuario tantum possidentur. Primum, à populis omnino, à Principibus aliquando, regna vel territoria pleno jure habentur, ita *Strabo* tradit, Cytheram insulam Tænaro objacentem fuisse Euriclis, Lacedæmoniorum Principis, privato ipsius jure, & ejusmodi sunt quæ occupatione, & præscriptione acquiruntur, donatione & dispositione testamentaria ad alios transferuntur; occupatio est eorum, quæ nullius fuerunt, quo modo Noachis filii, post diluvium, regiones sortiti sunt, cum à Japheto, Shemo & Chamo regiones separatæ sunt, per terras eorum, quæque gens secundum familias, in gentes suas. Eodem pertinet, quod in posterioribus sæculis loca inculta, insulæ in mari, & partes maris in proprium dominium occu-

occupatione devenerunt. Occupationi accedit præscriptio, cum Regiones, quæ alicujus fuerunt, ab ipso derelictæ, ab alio longa possessione acquiruntur, ita Jephtes Regi Ammonitarum, vendicanti terras inter Armonem & Jabocum, ab Arabum deserto ad Jordanem sitas, annorum trecentorum possessionem objecit, & ab ipso quæsivit cur ipse, ejusque majores, tanto tempore cessavissent. Ad donationem spectat quod Rex Solomon Hiramo, Regi Phœnicum, urbes viginti dedit, Agamemnon apud *Homerum*, se septem urbes Achilli daturum pollicetur, Rex Anaxagoras Melampodi duas regni partes dono dedit; testamentaria dispositione, Abrahamus statuit, si sine liberis decessisset, res suas Eliezero Oeconomo relinquere, Molossus nothus ex judicio Pyrrhi liberos legitimos non habentis, in Regno Epiri successit, Mithridates apud *Iustinum* ait, Paphlagoniam non vi & armis, sed adoptione testamentaria patri suo obvenisse. Attalus Rex Asiæ minoris, & Nicomedes Rex Bithyniæ populum Romanum hæredem fecerunt, Libyæ pars Cyrenaica, eidem populo ab Apione rege testamento relicta, & Regnum Ægypti testamento Regis Alexandrini

drini ejuſdem populi Romani factum eſt.

2. Secundo, Hæreditario jure regna poſſidentur, ad quæ ex ſucceſſione jus competit, hujuſmodi ſucceſſio, vel antiquior eſt, in qua proximus ultimo defuncto reſpicitur, vel poſterior in qua etiam deſcendentium à primo Rege ratio habetur. In priore ex ſexu & ætate prælatio erat, ita *Herodotus*, Mos, inquit, eſt omnium populorum, ut natu maximus imperium habeat, & apud *Iuſtinum*, Artabazanus natu maximus, ætatis privilegio regnum vendicabat, quod & ordo naſcendi, & ipſa natura gentibus dedit; niſi major natu eſſet illegitimus, quo in caſu Macedones Demetrio minori, potius quam Perſeo majori regnum deberi cenſuerunt. Deficientibus filiis ſuccedebãt filiæ, ita *Iuſtinus* dixit, Medorum imperium ad filiam pertinuiſſe, quod Aſtyagi nullum virilis ſexus genus erat, & Cyrus aiebat Mediam filiæ ſuæ deberi, quod ipſi filius mas legitimus non erat, Quod ſi defuncto Regi nec filii, nec filiæ ſupererant, frater ad ſucceſſionem admittebatur; ita cum Polydectes Lacedæmoniorum Rex, ſine liberis deceſſiſſet, Lycurgus frater, aliquandiu regnum adeptus eſt. Succeſſio, in qua etiam deſcendentium à primo Rege habetur

tur ratio, Linealis dicitur, & à linea recta ad collaterales transit; Linea recta est, liberorum, nepotum, & pronepotum, &c. Linea collateralis est fratrum, patruorum, avunculorum, & sic deinceps, in utrisque quot personæ sunt, si descendentes habuerint, tot lineæ possunt existere, è quibus propior excludit remotiores; propioribus deficientibus, etiam remotissimæ admittuntur. Estque hæc successio linealis, vel agnatica, qua soli mares succedunt, & jus ad mares transmittunt, quod in regno Francico obtinere dicitur: vel cognatica, quâ & mares, & fœminæ admittuntur, habito in quolibet gradu, respectu, primò, sexus masculini, deinde majoris ætatis, ita ut ob sexum, vel ætatem nunquam de linea in lineam transeatur, & hujusmodi successio in plerisque aliis Europæ regnis observatur. De hisce regnis aut partibus in præjudicium successorum, & populi, absque eorum consensu, alienatio, aut testamentaria dispositio non permittitur. Itaque Angli, irritam habuerunt regni traditionem, quam Rex Johannes Pandolpho Pontificis Legato, inconsultis Proceribus, fecerat, & Scoti imperium Anglicum, quod Johannes Balliolus invitis induxerat, non sustinue-

ſtinuerunt, & Franciſcus primus Rex Galliæ, qui captivus Carolo quinto provincias aliquot Burgundiæ cedere promiſerat, cum, quamprimum ad terram appulerat, à Proregis Neapolitani comitatu, ad id præſtandum requiſitus fuit, reſpondit, neceſſarium ſibi ad id ſubditorum Burgundiæ conſenſum adhiberi, quos in Comitiis conſulere ſtatuit. Idem ſtatuitur de diſpoſitione teſtamentaria, itaque cum Philippus rex Macedoniæ, in animo haberet, Antigono fratris filio, excluſo Perſeo, qui eum ad Demetrium filium occidendum ſceleratè induxerat, regnum relinquere, ut conſenſum ſubditorum conciliaret, Macedoniæ urbes circumivit, Principibuſque Antigonum commendavit, & quamvis Carolus Magnus, & Ludovicus Pius de regnis teſtati legantur, id commendationis vim apud populum magis habuit, quam veræ diſpoſitionis, atque id de Carolo ſpeciatim Ado memorat, voluiſſe eum teſtamentum ſuum à Francorum Optimatibus confirmari. Umbertus Princeps Delphinatus cum liberis deſtitueretur, principatum, poſt mortem, Regi Gallorum detulit, eâ lege, ut primogenitus Regis, Delphinus perpetuo voca-

vocaretur, ſed in id Proceres regni prius conſenſerunt, qui Principatum in Galliæ Regis filium, potius quam in Pontificem Romanum (cui vendere decreverat) conferre perſuaſerunt.

3. Tertio, jure uſufructuario tantum regna habentur, quæ Reges ad tempus vitæ duntaxat obtinent, quibuſque defunctis, alii, populi ſuffragiis, vel eorum qui à populo poteſtatem delegatam habent, promoventur. Tale fuit regnum poſt Romulum Numæ Pompilii, Tulli Hoſtilii, & aliorum qui rei Romanæ fundamenta jecerunt, & poſt Auguſtum Cæſarem, Imperatorum in rerum magnitudine ſubſequentium. Tale habetur Imperium Germanicum, regnum Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, & Sueciæ, ad quæ Principes per ſuffragia ad regale faſtigium aſcendere perhibentur, quorum plerique in admiſſione juramentum ſuſcipiunt, regnorum conditiones deteriores non facere, aliqui etiam provincias, quæ abalienatæ ſunt, repetere; itaque cum Fredericus II. Sardiniam, quam Romana Eccleſia ſibi vendicarat, repeteret, eumque Pontifex juramenti, de rebus Eccleſiæ defendendis, præſtiti moneret, reſpondit, ſe prius jurâſſe ad res Imperii repeten-

repetendas è quibus cum Sardinia per injuriam ablata fuiſſet, priori juramento ſe fortius conſtringi, potioreſque ipſi eſſe debere partes imperii, quæ meliori jure inſtructæ erant, quam cauſam Romanæ Eccleſiæ. Etiamſi alii, hujuſmodi juramenti minus memores videntur, ut Carolus IV., qui regnum Arelatenſe in Gallos tranſtulit, Ludovicus Bavarus, qui Helvetios ſe à corpore Imperii ſejungere permiſit, & Rudolphus Habſpurgenſis, qui Cancellarium ſuum in Italiam miſit, ut acceptâ pecunia, populos quoſcunque ab Imperiio liberos, & immunes faceret, quo tempore Florentini ſex millibus, Lucenſes duodecim millibus nummorum libertatem redemerunt.

Vid. Grotium lib. 1. *cap.* 3. §. 12. *eundem lib.* 2. *cap.* 3. §. 7. *cap.* 4. §. 2.

2. *Grotium lib.* 2. *cap.* 7. §. 12. 13. *& c. lib.* 1. *c.* 7. §. 12. *Arniſæum lib.* 3. *c.* 1. *num.* 10.

3. *Arniſæum lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 11. 14. 15.

SECT.

SECT. IV.

De Debito inter eos quibuscum Pax est:

Debitum, sive Officium, inter eos quibuscum Pax est, est quod præstandum est, inter diversos Principes, vel populos quibuscum Pax intercedit, veluti jus Congressus, Legationis, Conventionis, & Fœderis Civilis, cui fides interponitur, vel jusjurandum solenne adhibetur.

1. INter ea, quæ in pace, inter diversos Principes, vel populos debentur, præcipuum est jus Congressus, sive colloquii civilis, ex quo ipsi, vel eorum Delegati, inter se conveniendi & de negotiis tractandi cum dignitate & securitate potestatem habent. Ad dignitatem conducit, primò, ut potentioribus ad colloquium adventantibus, alii Principes, vel personæ illustres obviam procedant, nam hoc genus officii, cum benevolentiæ, tum observantiæ indicium habet, itaque magnifica decreta populi Athenienſis, super occursu & acceptione Attali memorat *Polybius*, Senatus Romanus Legatos

tos misit, qui quam longissimè occurrerent Galbæ ex Hispania venienti Romam, nempe Narbonam usque, qui ei verbis Reipub. plurimam salutem dicerent, rogarentque studiis universorum daret, ut quam primum ad urbem accederet, ita Cyrus, adventanti Cyaxari avunculo, assumptis quatuor nationum Equitibus obviam processit & Theodosius, Athanasio à Germanis pulso, ex urbe Constantinopoli longo itinere occurrit. Secundò, ad dignitatem refertur, ut qui inferior est, ad superiorem accedat. Cum Perseus, Philippi Macedoniæ Regis filius, cum Martio Consule Romano ad colloquium prope veniisset, dirimente amne, (verba sunt *Livii*) paulisper internuntiando cunctatio fuit, uter priùs transgrederetur, aliquid Regii Majestati regiæ, aliquid Legati Populi Romani nomini, præsertim cum Perseus petiisset colloquium, existimabant deberi, tunc joco Martius cunctantes movit, minor inquit ad majorem, (& quod Philippi ipsi nomen erat) filius ad patrem transeat (quibus verbis majestatem Romanam condit privata comitate.) Facilè id persuasum Regi est. Ita Artabanus Rex Parthorum, qui unus prope triumphis Roma-

Romanis defuerat, tantopere suspexit Romanum fastigium, ut Legatos ad Germanicum miserit, per quos, præter fœdus, & amicitiam pollicitus est, se daturum honori ejus, ut ripam Euphratis ad ipsum accederet, & ex eadem ratione, *Sleidanus* refert, Franciscum primum Gallorum Regem, Carolo V. Imperatori concessisse, ut ad Aquas mortuas, colloquio destinatas primus appelleret, unde fastuosum habebatur Arioviſti ad Legatos Cæsaris responsum, si quid ipsi à Cæsare opus esset, se ad eum accessurum fuisse, si quid autem Cæsar à se vellet, ad ipsum veniret. Huic affine est, ut qui inferior est, superiorem conveniens pro honore prius equo descendat: ita Tiridates, Rex Armeniæ, cum venisset ad locum sui ipsius, & Corbulonis colloquio destinatum, viso Corbulone prior equo dissiluit. At Crassus re perdita cum equo descendisset, & ad Surenam tenderet, & Surenas, ut eum visit, irridens. Quid hoc dixerit? pedes it Romanus Imperator, & nos equo insidemus? Respondit Crassus, ex necessitate, sed tanquam ex dignitate, neuter, inquit, peccat, patrio uterque more congredientes. Nam Parthus, ut ait *Tacitus*, equitatu stat, Romanus Legionum agminibus.

Idem

Idem respicitur in exceptione ad epulandum. Nam cum Caius Cæsar, ab Augusto in Syriam missus, cum Rege Parthorum coiisset, prior Parthus apud Romanum in ripa Romana, posterior hic apud Regem in Hostili epulatus est. Tertiò, pro dignitate observatur, ut in congressu, qui inferior est apud superiorem prius verba faciat, itaque cum Antigonus æquum censeret Eumenem sibi ut præstantiori loqui, Eumenes animosè respondit, Neminem me præstantiorem judico, quoad fuerim gladii dominus. Titus Quintius Consul, uti refert *Livius*, ut ventum est ad colloquium cum Philippo Rege Macedoniæ, rogatu Regis dicere cœpit; unde liquet, cum Rex impetraret à Consule, ut prior diceret, eum agnoviisse, se ipsum, ut minorem, prius loqui debuisse. Et Sylla in congressu ipsius & Mithridatis disertim Regi dixit, supplicantium esse, ut prius loquantur; victorum, ut taciti eorum preces excipiant. Deinde in congressibus & colloquiis permittendum, ut securitati consulatur, ne vel numerus comitum, vel opportunitas loci insidiis occasionem præbeant, itaque cum Perseo, ad Martium transgredi placuisset, aliud, inquit *Livius*, deinde ambigebatur, cum

cum quam multis transiret, Rex cum omni Equitatu transire eum æquum censebat, Legati vel cum tribus venire jubebant, vel si tantum agmen traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore in colloquio, isque Hippiam, & Pantaucum Principes amicorum obsides dedit; *Livius* vero ait, non tam in pignus fidei obsides dati erant, quam ut appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi Regem cum Legatis. Ad evitandum occasione loci insidias, aliquando è navi ex altera parte habetur colloquium, ita cum Philippus Rex Macedoniæ & Titus Quintius Consul Romanus, ad littus prope Nicæam, ad colloquium convenissent, Romanus, uti refert *Livius*, ad extremum littus progressus, quum Rex in proram navis in anchoris stantis provenisset, Commodius, inquit, si in terram progrediaris, ex propinquo dicamus invicem audiamusque, quumque Rex id facturum se negaret, quem tandem, inquit Quintius, times? ad hæc ille regio animo, neminem equidem timeo præter Deos immortales, non autem omnium credo fidei, quos circa te video, atque omnium minime Ætolis, inter quos erat Phæneas eorum Prætor; illud quidem, ait Romanus,

manus, par omnibus est periculum, qui ad colloquium congrediuntur, ut in nullo sit fides, non tamen inquit Rex, par perfidiæ præmium est, si fraude agatur, Philippus, & Phæneas, neque enim æquè difficulter Ætoli. Prætorem alium, ac Macedones Regem in meum locum substituent. De congressu Eduardi IV. Regis Angliæ, & Ludovici IX. Regis Galliæ, ita scribit *Cominæus*, cum locus colloquutioni idoneus circumspiciendus esset, ad eam rem conficiendam, se cum Boccagio à Rege missum, ab Anglis Hauardum & Chalonerum, cum fœciali, diligenter inspecta omni regione, & ora illa, quæ est ad Somiam flumen, visum esse opportunum locum Picennium oppidum, tribus infra Ambianum milliaribus, ibique placuisse efficiendum esse pontem, in quo Reges congrederentur, in medio ponte fiebant cancelli, mediocri altitudine, qualibus coërceri leones solent, ejus foramina erant ea magnitudine, ut brachium aliquis latè insereret, supernè erat tota contabulata, pluviæ arcendæ causa, ita quidem amplè, ut utrinque duodecim consisterent, Illi cancelli complectebantur, utramque oram pontis, sic, ut nullus transitus in alterutram

partem pateret, Ad flumen ſolum erat una ſcapha, cum duobus vectoribus. Rebus ad colloquium paratis, poſtridie eo veniunt ambo Reges, & Ludovicus prior, cum octingentis cataphractis, Eduardus autem cum omni exercitu, ſed duodenos tantum ſinguli ſecum adducunt, & interea dum colloquuntur, ex ipſis quatuor erant deſtinati utrinque tanquam inſpectores eorum, quæ utrinque gererentur cum Rege præter alios aderant Johannes Borboniæ Dux, ejuſque frater Cardinalis, poſteaquam Eduardus eo venit, comitatus inter alios fratre Clarentiæ Duce, complectuntur ſe invicem valde amanter per foramina ſæpimenti, & Ludovicus ſermonem inchoans, Adventus, inquit, tuus, Cognate, mihi longe gratiſſimus, adeo quidem ut nullius hodie principis conſpectu, & colloquio malim frui, eoque nomine gratias ago immortali Deo, cujus beneficio hic perpetuæ amicitiæ firmandæ convenimus. Ad ea cum Gallice reſpondiſſet Eduardus, ejus Cancellarius ſermonem excepit: & hujuſmodi ſunt quæ in congreſſibus principum, & eorum qui principum loco habentur, obſervari ſolent.

5. Denique in congreſſibus & colloquiis

quiis eorum qui principum Delegati ſunt, dignitatis eorum quorum perſonas ſuſtinent, ratio etiam habenda eſt, ex qua primum, alii alios præcedere, & ſuperiori loco conſidere æquum cenſent, unde Mendoza Regis Hiſpani Legatus in Concilio Tridentino, cum indigne ferret, quod inter Regios Legatos ſupremus locus ipſi non concederetur, dixit, ſe nolle quidem anteire, ſed nec cogi poſſe, ut Francorum Legatos ſequeretur. Cum Sylla allatis tribus ſedibus, unam Ariobarzani, alteram Orabazo Arſacis Regis Perſarum Legato dediſſet, tertiam, eamque mediam ſibi ſumpſiſſet, & inde Orabazum edentem mandata audiſſet. Arſaces Orabazum reverſum necavit, quia Syllæ loco ceſſerat. Secundo pro Perſonarum præſtantia ordo loquendi, & nationis ſermo obſervatur, ut qui digniores ſunt, loquendi vices ſortiantur, ita in Concilio Ætolorum, uti refert *Livius*, etſi primus erat locus Magnitudinis Romanæ, tamen permiſſu Legatorum Romanorum, Athenienſes, & Macedones primo loco dixerunt, ipſi ultimo maluerunt, ut objectis reſpondere poſſent. Nationis proprio ſermone uti, pro honore eſſe oſtendit, quod refert *Cicero* ſibi à Ver-

re pro crimine objectum, quod in Senatu Græco, hoc est Syracusano, Græcè verba feciſſet, & de Auguſto perhibetur, quod quanquam ſermone Græco alioquin promptus, & facilis, non tamen uſque-quaque uſus eſt, abſtinuitque maximè in Senatu. Militem quoque Græcè teſtimonium interrogatum, niſi Latinè, reſpondere vetuit. Itaque cum in congreſſu Legatorum Angliæ, & Hiſpaniæ, de ſermone adhibendo quæſtio haberetur, & Legatus Regis Hiſpaniæ, quaſi dignitati Elizabethæ Reginæ Angliæ aliquid conceſſurus, Dalo Juriſconſulto ejus Legato, jocosè dixit, in lingua Gallica tractabimus, quia Domina veſtra eſt Regina Galliæ; Dalus (quem *Bodinus* alicubi virum non minus ſcientia, quam honore egregium appellat) reſpondit, quaſi parem honorem Regi Hiſpaniæ relaturus, immo inquit, ſi placet, in lingua Hebraica, quia Dominus veſter eſt Rex Hieroſolymarum. In his vero aliquando ad tollendam diſcordiam, conſultius habetur, æqualitatem, vel modum aliquem medium adhibere, quemadmodum refert *Cominæus*, in colloquio in Ducis Mediolani palatio habito, ex altera parte Legatos Imperatoris, Regis Hiſpaniæ, & Principum Italiæ, ex altera

tera parte Legatos Regis Galliæ collocatos, & Gannæum Jureconsultum à Rege Galliæ adjunctum, ut Latinè verba faceret. Deinde duos scribas adhibitos, quorum alter Gallicè, alter Italicè, quæ dicebantur, scriptis mandaret.

6. Sicut in congressibus, & colloquiis, ita etiam in literis & scriptis inter Principes, pro dignitate personarum, debiti honoris observantia exhibenda est, unde si quid circa titulos omissum sit, pro vilipendio habetur, itaque cum in Naumburgensi conventu anno 1561. Pii Quinti Pontificis literæ, ad Augustum electorem Saxoniæ, & reliquos Protestantium Principes, per Legatos traditæ essent, cum hac inscriptione, Dilecto filio, Nobili viro, N. N. Electori, Duci, Langravio, &c. Cum plusquam nobiles se existimarent, literas resignare, aut aperire haud dignati sunt, sed eas clausas, & seratas in hospitium Legatorum remiserunt, ut *Thuanus* refert, & Gustavus Adolphus Rex Sueciæ, cum ab Electoribus responsum prioribus suis literis accepisset, in quo titulus Regius omittebatur, alias ad eos literas dedit, in hunc sensum, Vestrum ad literas nostras, superiori anno responsum, accepimus, quod ut resignaremus,

etsi primo intuitu, vix in animum inducere potuimus, propterea quod nobis titulum, à Deo solo, & majoribus nostris acceptum, quemque viginti annos, valida manu nobis asseruimus, & porro usque ad extremum vitæ spiritum, constanter asserere decrevimus, non tribueret, tamen illud hac conditione reseravimus, ne hujusmodi in posterum præjudiciis amicitia nostra violetur. De quo Electores postea, ita se excusant, Sereniſſime Rex, etsi in literis nostris quoad titulum aliquid defuerit, id tua Majestas non ex animo alienato, & qui ipsius honori aliquid detrahere cupiat, sed ex usu & consuetudine, quam etiam erga alios Reges observamus, profectum esse sibi persuadeat. Idem habetur, si Principes inferiores in literis, sua nomina principum superiorum nominibus præponant, Quod ejusdem Regis Sueciæ ad eosdem Electores aliis literis observatum, in quibus significat se literas eorum accepisse, & ex inscriptione convenienti agnovisse, illam meliori forma conceptam esse, quam in prioribus propter defectum Regii tituli, sed postquam illas resignasset, se non parum mirari, cur contra morem usitatum, & stylum consuetum in literis Electoralibus, non

non tantum ad se, sed etiam ad alios Reges, ipsorum nomina præponerentur, quasi data operâ ageretur, ut aliis ante Regium suum nomen positis nominibus, suæ Regiæ dignitati, atque eminentiæ aliquid derogaretur, se autem, quicquid in hac re quæsitum fuerit, id in eam partem interpretari, ac si erratum culpa amanuensium admissum esset &c. Quod etiam confirmat Adriani Pontificis satis elata ad Fredericum I. epistola, in qua ille, Miramur, inquit, quod Beato Petro, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ, non tantam reverentiam, quantam debes, impendis, cum in literis ad nos missis nomen tuum nostro præponis, in quo insolentiæ, ne dicam ignorantiæ, notam incurris. Cui congruit, quod observatur in glossa, celebris, sed suspectæ Legis quæ incipit *Inter claras*, *Cod. de summâ Trinitate*, cujus inscriptio sic se habet, *Gloriosissimo & Clementissimo filio Iustiniano, Augusto, Iohannes Episcopus urbis Romæ*, ubi *Accursius*, Nota, inquit, olim Papam in Epistola, quod hodie non faceret, nomen imperatoris, suo nomini præponere.

Secundo, in Pace inter diversos Principes vel populos est Ius Legationis ci-

vilis, Legatio, quam Græci ἐκδημον πολιτείαν, sive externam administrationem vocant, est negotii publici, cum exteris per aliorum ministerium procuratio, quæ propriè sic est cum ab iis procedit qui summum imperium obtinent, impropriè, & quasi, cum ab aliis proficiscitur; utpote à Coloniis, Municipiis, vel Provinciis, cujus generis sunt, ut plurimum de quibus in titulis Juris civilis de Legationibus tractatur, sed & in civilibus discordiis, ab una parte Reipublicæ ad aliam, utpote à plebe quæ secesserat in Aventinum ad Patres, Legationes mitti dicuntur, & à primoribus partium ad primores, ut à Caio Manlio ad Martium Regem, à Bruto, & Cassio ad Antonium, & Lepidum Legati cum mandatis transiisse memorantur. Deinde Legationes aliæ Religiosæ, aliæ Officiosæ, aliæ Excubitoriæ, aliæ Necessariæ denominari possunt. 1. Religiosæ cum ad rem aliquam sacram peragendam Legati mittuntur, ut cum post cladem acceptam ad Cannas, Fabius Pictor Delphos missus est à Romanis ad sciscitandum oracula, quibus precibus, & supplicationibus Deum placare possent, M. Pompeius Matho, & Quintus Catulus eodem missi sunt ad portandum dona ex præda

ab

ab Hasdrubale capta. 2. Legationes officiosæ sunt, quæ uti *Tacitus*, officii ergo instituuntur, utpote cum mittuntur, qui gratulari, dolere, atque id generis alia, peragere in mandatis habent, quæ ita verè dicuntur cum ab inferioribus ad superiores destinantur, Sic Officiosæ legationes ex omnibus Regionibus terræ adierunt Alexandrum: Cum vero à paribus ad pares mittuntur, Honorariæ, vel honoris ergo nominantur, In iis censentur, primum gratulatoriæ, quales fuerunt, de quibus Rhodii in Senatu Romano mentionem faciunt. Carthaginiensibus victis, Philippo, Antiocho superatis, cum Romam venimus vobis gratulatum ex Curia in Capitolium, ad Deos vestros dona ferentes deducebamur, Ita cum Perses duxit uxorem filiam Seleuci, celebratæ sunt nuptiæ gratulationibus, donisque innumerabilium Legatorum, & veluti auspicibus nobilissimis populis deductæ sunt, Ejusmodi sunt Legationes Principum quæ ad inaugurationes Regum emittuntur, quas Pontifex Romanus adeo sibi ex officio debitas censet, ut Pontifex, uti *Guicciardinus* scribit, indignatus sit Regi Catholico, quod sibi recens creato

pro more majorum Legatos ad osculandos pedes non misisset. Secundo, Officii vel honoris causa habentur quæ consolatoriæ, quæ ad dolorem leniendum, vel dolorem testandum missæ sunt, ut cum David Legatos Ammoni Ammonitarum Regi, qui eum post mortem patris consolarentur, & Athenienses Ctesiphontem ad Cleopatram Philippi filiam ob excessum Alexandri Regis Molossorum ablegarunt, quæ nisi tempestivæ, ingratæ habentur, Quod testatur Tiberii Ilienſibus responsum, Nam cum hî post mortem Drusi, serius ad eum consolandum se venisse dixissent, quasi jam obliterata doloris memoria aiebat, Se quoque eorum vices dolere, quod egregium virum Hectorem amisissent. Tertiò, Huc etiam spectant quæ ad benevolentiam ostendendam destinatæ sunt, ut cum Chosrois Persarum Regis Legatus, cum donis ad Iustinianum literas dedit, quæ hoc tantum loquebantur, Chosroëm cupere fieri certiorem ut valeat Imperator, & cum Porus Rex Indicus per Legatos misit ad Augustum literas, quibus profitebatur, quamvis ipse esset Rex sexcentorum Regum, tamen ambire se amicitiam Cæsaris, paratumque dare illi transitum quâcunque

que voluerit, & ipsum re quacunque poterit, gratificari, &c. Hæ Legationes ad particulare aliquod, & certum negotium comparatæ sunt, quemadmodum & aliæ ad petendum aliquid quod usui publico esse possit, ut cum Decemviri in Græciam à Romanis ad petendas Leges, quæ postea in duodecim tabulas redigebantur, ablegati sunt Pub. Gabinius, Marcus Ottacilius, Lucius Valerius, restituto Capitolio Legati Erythras missi, qui carmina Sibyllæ conquisita reportarent; Ptolomæus Philadelphus, ad Eleazarum summum Pontificem Iudæorum, ad petendum Jus Judaïcum septuaginta sacrorum librorum interpretibus usus est. Legationes Ordinariæ, sive assiduæ, quæ & Excubitoriæ dici possunt, quæ non ad definitũ, aut certum aliquod negotium, sed ad tempus obeuntur, quibus qui funguntur, vulgo Residentes appellantur, quorum est, dum in Legatione manent, omnia quæ è re mittentis fuerint, tractare, agere, & prout imperatum fuerit, expedire. Cujusmodi Legationes antiquis fuisse incognitas multi existimant, speciem vero aliquam similem iis habent, quæ cum Proconsulibus in Provincias, & Imperatoribus in exteras regionẽs mitte-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [65] - 35
PUBLIC DOMAIN

bantur. Legationes extraordinariæ sunt, quæ prout res, & negotia publica requirunt, necessariæ habentur, in quibus de conventionibus, Fœderibus Civilibus, & similibus tractatur.

3. Legationibus obeundis adhibentur, aliquando personæ singulæ, aliquando plures, pro conditione negotii, aut dignitate eorum ad quos mittuntur, Romanis in more erat unum Legatum mittere, sed ipsum Senatorium, ad Reges appellandum, sive agnoscendum, eisque munera deferendum. Ab aliis gentibus ad potentiores, plures mitti consueverunt, Demetrius questus est de Lacedæmoniis, quasi spretus, quod unum duntaxat Legatum ad se misissent, cui Spartanus, annon satis, si ad unum unus? Ad Alexandrum missi à nonnullis gentibus Legati centum, à Sambastis gente Indica quinquaginta, à Scythis viginti, ab Amphictionibus Græciæ nomine viginti, Tigranes solitus adiri numerosis Legationibus, despectâ paucitate militum Luculli, si, inquit, Legati, multi sunt; si hostes oppido pauciissimi. Semper autem apud omnes gentes mos obtinuit, ut inter plures Legatos, unus Legationis Princeps constitueretur, ita in Legatione Philippi Regis ad Annibalem,

balem, Xenophanes, Ætolorum ad Romanos Phæneas; Romanorum in Græciam, & Macedoniam Appius Claudius. Ejus officium erat publicè mandata exponere, reſponſa accipere, & quicquid circa negotia mandata dicendum erat aliorum conſilio, & conſenſu dicere. Legatis accedunt Comites & familia; Comites ſunt honeſtioris conditionis perſonæ, quas Legatus ipſe aſciſcit, ut à Scipione Æmiliano ad Reges adeundos à Senatu miſſo, amicus Lælius, & Panætius Philoſophus; aliquando ab eo qui Legationem mittit, commendantur, ut ab Adriano II. Pontifice Legatis ſuis comes additus Anaſtaſius homo literatus Bibliothecæ præpoſitus; aliquando, ii Comites adhibentur, qui ad conciliandam gratiam, apud eum cui Legatio deſtinatur, idonei cenſentur, ut Armenii & Chaldæi, ei Legato quem Cyrus miſit ad Indorum Regem: In familia ſunt liberi, & ſervi quorum miniſterium Legatis neceſſarium, aut utile.

4. Legatorum authoritas pendet à literis Commendatitiis & Mandatis, Literæ commendatitiæ, quæ vulgo Credentiæ, ſive Fidei dicuntur, quibus Legationum authores teſtantur, iis ad quos Legationes

nes destinantur, Legatos à se missos, & quod legatorum nomine egerint, se ratum habituros. Mandatum est, de negotio gerendo voluntatis ejus qui Legationem mittit, expositio, estque vel apertum, quod ita præscribitur, ut si opus est, ad dubitationem tollendam, apud eos quibus Legatio missa est, proferri potest, eoque potestas vel ad definitum aliquod negotium concessa, vel libera potestas permissa, ut Legatus quod Reipublicæ expedire videbitur, agere possit, ita olim Phaneas, & Damocles ab Ætolis ad Romanos missi, ea potestate, ut quod ad bonum publicum faceret, de eo bona fide liberè statuerent, ita Carolus Dux Burgundiæ, uti refert *Cominæus*, Legatis suis liberam potestatem fecit, subscriptione nominis chartæ vacuæ, ut quid è re videretur, agerent, & inscriptione authoritatis suæ, si opus esset apud Ludovicum XI, Galliæ Regem confirmatam ostenderent: Mandata arcana sunt quibus modus & fines tractandi secretò Legatis præscribuntur, quandoque quibus aliud quam quod in publicis mandatis continetur, præcipitur, ita à Senatu Romano Legati alio prætextu missi, occultè ad dissipandum corpus Achæorum in mandatis habuerunt,

buerunt, talia in Pugillaribus exarata, & obsignata Gordianus senior misit Vitaliano, iisque similia fuere quæ Hamilcar, cum classe in Siciliam navigaret, signata dedit navium gubernatoribus, addito ne quis legeret, nisi vi tempestatis à cursu navis prætoriæ, abductus fuerit. His similia, Caius Marius Consul bello Cimbrico, & Teutonico excogitavit cum ad excutiendam Gallorum, & Ligurum fidem, literas eis misit, quarum pars prior iis præcipiebat, ne posteriores, quæ præsignatæ erant, ante certum tempus aperirent, easdemque postea ante præstitutum tempus repetens, quia resaratas reperit, hostilia agitari intellexit. Atque hujusmodi sunt quæ Legationes constituunt.

5. Jus Legationis est, quod Legatis, ab iis ad quos missi sunt, præstandum est, veluti, in eorum receptione, audientia, dimissione & securitate exhibenda. In receptione Legatorum, qui à Potentioribus accedunt, observari solitum, ut officii, vel honoris causa, etiam illustres personæ iis obviam procedant, ita Tiberio Legato Romano ipse Antiochus obviam ivit, Cum Justinus Imperator, quod æger esset, Regis Persarum Legato occurrere non posset, Imperatrix ei obviam processit,

ceſſit, & traditas ab eo literas recepit, & Carolus Magnus perſonas illuſtres miſit, qui Aaronis Perſarum Regis Legatos exciperent, ut primum Piſæ terram tangerent, hujuſmodi honor à pleriſque Regibus habetur Romani Pontificis Legatis, ut ipſi venientibus procedant, Rex autem Galliæ mittere ſolet fratrem, aut Principem aliquem conſanguineum, qui hoc munere fungatur. Secundo, ad receptionem Legatorum pertinet, ut pro dignitate hoſpitium paretur, & iis neceſſaria præbeantur. Romæ cum in libertate erat, exterarum gentium Legatis Quæſtor obviam mitti ſolebat, quod eis donec manebant, ex publico ærario ſumptus decernebantur, hoc more Lucius Manlius Quæſtor Maſgabæ, Legato Maſſiniſſæ, alius Quæſtor Maſicani Maſſiniſſæ filio obviam proceſſit, quod in receptione Pruſiæ, & Ptolomæi Regum, qui quaſi Legati Romam venerunt, plenius declaratur, quippe Senatus cum Pruſiam Bithyniæ Regem, Perſeo devicto ad gratulandum ſibi venire audiſſet, P. Cornelium Scipionem Quæſtorem obviam illi Capuam uſque miſit, cenſuitque, ut domus ei Romæ quam optima conduceretur, & rerum copiæ, non ſolum ipſi, ſed

etiam

etiam Comitibus ejus præberentur, & cum Ptolomæus Rex Ægypti à minori fratre regno spoliatus, petendi auxilii causâ cum paucis servis, squalore obsitus, Romam venisset, ac se in hospitium Alexandrini Pictoris contulisset, id postquam Senatui relatum est, accersito juvene, qua potuit accurata excusatione usus est, quod nec Quæstorem illi more majorum obviam misisset, nec publico eum hospitio excepisset; eaque non sua negligentia, sed ipsius subito, & clandestino adventu contigisse dixit, Illumque è Curia protenus ad publicos penates deduxit, hortatusque est ut depositis sordibus, adeundi Senatum diem peteret, quin etiam curæ habuit, uti munera ei per Quæstorem quotidiè darentur. Secundo, moris est ut petentibus Legatis, Concilium, seu Audientiæ dies & locus certus, pro Personarum, & negotiorum conditione constituatur, postquam Romanorum Legati ab Achæorum gente diuturna expectatione delusi fuissent, Senatus eos admonuit, ne postea excusatione, qua se tegebant, uterentur, ut Legatis Romanis adeundi concilium, potestas semper fieret, quemadmodum & illis quoties vellent Senatus daretur, Legationibus Pro-

Provincialibus audiendis Romæ, ne qui longius venirent, diutius tenerentur, à Calendis Februarii, ad Calendas Martii Senatus aperiebatur, Principe Augusto, tribus Consularibus mandatum, ut has Legationes audirent, Tiberius ipse eas audiebat, iis adhibitis qui illis Provinciis præfuissent, ita etiam Trajanus, de quo *Plinius*, adeunt statim, dimittuntur statim, tandemque Principis fores, excluſa Legationum turba, non obsidentur. Legatis, cum audiebantur, in concilio permissum suæ gentis lingua loqui, & interpretis ministerio uti, ita *Cicero*, Neque Pœni, neque Hispani ullæ vè gentes externæ, in Senatu Romano sine interprete loquebantur, tribus Philosophis Athenienſium Legatis, Cæcilius Senator interpres datus. Tertio, Legatis etiam debetur, ut Legationi expositæ, responsio detur. Aristhenus Achæorum Prætor, cum Principes ejus gentis auditis Romanorum, Attali, Philippi Regis, & Rhodiorum Legationibus, de eorum postulatis, potestate per prætorem ex more facta, consulere nollent, Non magis, inquit, Consilium vobis Principes Achæorum, quam lingua deest, sed suo quisque periculo, in commune consulere renuit. Forsitan, Ego quoque tace-

tacerem, si privatus essem, nunc Prætor, sentio, aut non dandum Consilium Legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non esse. Ego autem respondere nisi ex decreto vestro nequaquam possu m. Aliquando vero responsum, non iis qui Legatione functi sunt, sed per Legatos proprios transmittitur, ita Alexander Legatis Darii, ad se cum literis missis, & orantibus uti Matrem, uxorem, liberos dimitteret, responsum viva voce non dedit, sed Thersippum una cum literis ad Darium, cum epistola qua ad literas Regis, & Legatorum postulata respondit, ire jussit. Responsi dilatio potentioribus pro contemptu habetur, Itaque cum Antiochus populi Romani Legatos, manu excipere vellet, Popilius literas à Senatu ipsi perlegendas dedit, quibus perlectis, cum se adhibitis amicis, consulturum dixisset, Popilius, pro asperitate animi, virga quam manu gerebat, circumscripsit Regem, dixitque priusquam hoc circulo excedas, redde responsum Senatui, quod referam, quo violento imperio, obstupefactus Rex, Faciam, inquit, quod Senatus censet. Excusatius fuit, Legati Perusini commentum, quo ab Urbano V. Pontifice, subito responsum elicuit, quippe cum

cum Legationis Princeps prælonga oratione in expoſitione negotii Pontifici laboranti tædium intuliſſet, iſque inquireret, numquid aliud in mandatis haberent, exorſus alter dixit, Sanctiſſime pater, mandatum nobis eſt, ut niſi quamprimum reſponſum accipiamus, Collega hic noſter longè prolixiori oratione apud Sanctitatem veſtram verba faciat. Quo audito ſine mora, Pontifex reſponſo dato Legatos dimiſit.

Poſtremo Legatis ſecuritas, ab iis ad quos miſſi ſunt, præſtanda eſt, quamdiu in eorum territoriis exiſtunt, quia perſonas eorum ſuſtinent, qui Majeſtatem habent, nec ſolum Legatis, ſed & comitibus, familiæ, & rebus eorum ſecuritas debetur, quoniam, comites & familia Legationis pars ſunt, & vaſa & bona Legati mobilia, perſonæ acceſſio habenda ſunt.

3. Tertio, inter diverſos Principes, vel populos debitum eſt, jus Conventionis civilis, ex quo ſicut privati, de re aliqua particulari contrahentes, obligantur, utpote cum Principes de ſponſalibus, vel matrimonio ineundo inter ſe conveniunt, quod aliquando per Procuratores, vel Legatos ſpeciales expediunt, idque, uti *Bodinus* obſervat, frequentius Principes maſcu-

masculi, qui picturis credunt, quam fœminæ sui juris, quæ viros spirantes contueri, & præsentes alloqui malunt, ita enim Isabella, Castellæ Regina, Ferdinando nubere noluit, priusquam os Principis aspexisset, nec uti idem *Bodinus* refert, Elizabetha Anglorum Regina, unquam adduci potuit, ut cuiquam connubium promitteret, quem præsentem non videret, quare Henrico Regi Suecorum, diuturna Johannis fratris Legatione, eam ad nuptias petenti, responsum, Se Regi plurimum debere, quod ipsam è carceribus ad regnũ depoposcisset, id tamẽ apud se decretum fuisse, ut Principi nemini nuberet, nisi quem antea videre liceret. Item cum Principes de Dote, vel de Juribus quæ ratione matrimonii competitura sunt, paciscuntur. Ita inter Philippum Regem Hispaniæ, & Mariam Reginam Angliæ pactum erat, ut contractis nuptiis, Philippus uxoris Regnorum, & Provinciarum titulos sibi sumeret, sociusque in eorum administratione esset, integris regni Privilegiis, & consuetudinibus, plena item, ac libera gratiarum, beneficiorum, ac functionum distributione penes ipsam remanente, vicissim ut Regina in societatem omnium regnorum, Phi-

Philippi mariti vocaretur, & si Philippo superstes esset, dotis nomine, annua pensio, sexaginta mille librarum, ei penderetur, Præterea ut liberi qui in hoc matrimonio nascerentur, in omnia regna, ac dominia Reginæ, & in omnes Belgii, & Burgundiæ, quos Cæsar possidebat; Principatus succederent, Carolus vero Philippi ex priori uxore filius, cætera omnia in Italia, & Hispania regna obtineret. Item cum Principes ex aliis causis ad pecunias persolvendas, ad urbes, arces, aut res alias reddendum, se astringunt. Quemadmodum cum Franciscus Rex Galliæ ditiones, quas captivus promiserat, ordinibus regni reclamantibus Hispano cedere non posset, postea pace Cameracensi conventum est, ut Cæsar Galli liberos in Hispania obsides liberaret, & Gallus Cæsari vicies centena millia aureorum, Lytri nomine penderet, & præterea quindecim millibus, Henrico VIII. Regi Angliæ, quæ Philippus Cæsaris pater, ab Henrico VII. ventis adversis in Angliam delatus mutua sumpserat, exolutis, Lilium aureum gemmis insignitum, cui etiam frustum Dominicæ crucis inclusum credebatur, eo nomine oppignoratum, redimeret, & Cæsari restituendum curaret.

ret. Ita cum anno 1585. inter Elizabetham Angliæ Reginam, & Ordines confœderatos Belgiæ conventum esset, ut Regina fœderatis provinciis quinque millia peditum, & mille Equites suppeditaret, & iisdem durante bello stipendia solveret, & interim Flessinga, Arx Ramekana, & insula Briela cum oppido, & propugnaculis, pro cautione in manus Reginæ traderentur, Jacobus Rex Angliæ pecunia debita, sexcentum scilicet mille librarum, exoluta oppida, arcem & insulam, cum propugnaculis, post triginta annos ordinibus Belgiæ restituit. Atque hujusmodi conventiones, successores, quando propter utilitatem publicam initæ sunt, de jure, alias ex honestate, præstare tenentur, ita Franciscus II. Rex Galliæ, ad Helvetios patris debita reposcentes, scripsit. Tametsi paterna debita solvere non teneretur, cum Sceptrum Galliæ, non hæreditario jure haberet, sed Lege & consuetudine regni, quæ non aliter ipsum obligat quam ad ea fœdera, pacta ve observanda, quæ cum exteris Principibus, ac populis ad regni utilitates, & commoda, à majoribus contracta sunt, nihilominus se, ut patris chariſſimi fidem religiose tueretur, legitima ejus debita solvere decreviſſe.

4. Quar-

4. Quarto, Jus Fœderis, eſt quo Principes, vel populi ad aliquid generalius, cum majori ſolennitate obligantur, nam Fœdus, uti docet *Livius*, in genere, eſt contractus qui juſſu ſummæ poteſtatis populum univerſum obligat, in ſpecie, Inter eos quibuſcum Pax eſt, (uti Menippus apud eundem *Livium*) Cum qui hoſtes nunquam fuerunt, ad amicitiam, ſociali fœdere inter ſe conjungendam coëunt, & apud Romanos per Fœciales, addito Patrepatrato, peragi ſolebat, ejuſque objectum, eſt aliquid magis generale, & continuum, quam alterius publicæ conventionis, utpote Amicitia, vel Societas, vel aliquid quod ab amicitia, vel ſocietate dependet, ut commercium, vel auxilium. Nam etſi inter aliquos ex relatione perſonali, vel reali, Amicitia, vel Societas exiſtat, eadem arctiori fœderis, vel ſolennis contractus vinculo confirmari, & cum aliis, quibuſcum antea non interceſſerunt, ſtabiliri, & utriſque, modi & conditiones præfiniri conſueverunt, & auxilia quæ ex fœdere Societatis debentur, certius & melius, quam quæ ex alia Societate competunt, determinantur. Etenim Fœdera alia circa ſocietatem, & auxilia ad defenſionem pertinent, quæ ἐπιμαχίαι, dicun-

dicuntur, alia ad defensionem, & offensionem spectant quæ συμμαχίαι appellantur. Deinde quod ad modos, vel conditiones attinet, Fœdera, aut æqualia sunt, cum Principes, vel populi ad paria obligantur, aut inæqualia, cum alter plus, alter minus præstare tenetur. Qui ex æquo fœdere conjunguntur, suæ Majestatis dignitatem nulla parte diminutam retinent, qui inæquali fœderi subjiciuntur, aliquando alter alterum superiorem agnoscere, ejusque Majestatem comiter observare debet. Ita cum Ætolis sociale fœdus his verbis percussum est, Imperium, Majestatemque Populi Romani Gens Ætolorum conservato, sine dolo malo, eosdem hostes, quos Populus Romanus habeto, armaque in eos ferto, & bella pariter gerito.

5. Hujusmodi conventionibus publicis, & fœderibus aliquando fides interponitur, aliquando jusjurandum solenne adhibetur, apud Persas firmissimum fidei vinculum, datis dextris, habebatur, cujus etiam usus fuisse videtur apud Romanos, unde *Cicero* in Oratione pro Dejotaro dixit, Caii Cæsaris dextram non in bellis & in præliis, quam in promissis & fide firmiorem. Jusjurandum est, cum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [79] - 49
PUBLIC DOMAIN

Deus teſtis, & vindex invocatur, cujus religio ſuprema fuit, & ab omni ævo, apud omnes populos circa pollicitationes, promiſſa, & contractus, maximi ponderis, ita *Ciccro*, Majores noſtri nullum vinculum, ad aſtringendam fidem jurejurando arctius eſſe voluerunt.

Vid. 1. *Paſchalium c.* 35. 38. 39. *Cominæum Comment. Beſoldum de ſeſſione & præcedentia. Nolden. de Nobilitate cap.* 1. *num.* 6. *Lanquet. Epiſtol.* 53. *Arma Suecica pag.* 36. 39.

2. *Conradum Brunum, Albericum Gentilē Kirchnerum Beſoldum de Legationibus, & qui ab eo recenſentur.*

3. *Bodinum lib.* 6. *num.* 744. *Conradum Brunum, lib.* 3. *cap.* 14. *Bodin. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 91. *cap.* 9. *num.* 105. *Godvvini annales anno* 1585.

4. *Bodinum lib.* 5. *cap.* 6. *Ayalam. lib.* 1. *cap.* 7. *Lupum de Conſœderationibus, Sigonium de antiquo jure Italiæ cap.* 1. *Grotium lib.* 2. *cap.* 15.

5. *Grotium lib.* 3. *cap.* 13. *Bodinum lib.* 5. *cap.* 6.

SECT.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [80] - 50
PUBLIC DOMAIN

SECT. V.

De Delicto inter eos quibuscum Pax est.

Delictum est inter eos quibuscum Pax est: cum Personis injuria infertur, vel Bona invaduntur, aut auferuntur, & cum quæ de Iure, vel ex conventione aut fœdere debentur, non præstantur.

1. DElictum inter Principes, vel populos diversos est, ex quo communio, vel pax læditur, unde sicut inter privatos ex delictis, & injuriis lites forenses, ita inter eos qui Judicem non habent, bella oriuntur. In his delictis primum est cum status læditur, vel personis injuria infertur, itaque Germanicus à Pisone Syriæ Proconsule contumelia affectus, ei amicitiam renuntiavit; & Philippo facinus indignum videbatur, cum Athenienses ejus statuas urina perfuderunt; quemadmodum Romanis factum audacia plenum, cum Ephesii eorum statuas dejicerent. Idem habetur cum personis conjunctis injuria infertur, itaque Agamemnon, & reliqui Græciæ Principes ob dedecus raptûs Helenes, Menelai uxoris, Troja-

Signatur: Leibn. Marg. 80, [81] - 51

nis bellum intulerunt. Deinde ad injuriam etiam refertur, si quod pro humanitate, aut amicitia præmittendum est, denegetur, transitus per territorium, vel Commercium, ita *Augustinus* affirmat, quod justa bella gerebantur, à filiis Israël contra Emoræum, quia innoxius transitus iis denegabatur; & Græci probabant querelam Megarensium contra Athenienses, qui eos arcebant suis portubus, contra jus commune, ut *Plutarchus* loquitur: sed & ad injuriam pertinet si vel sociis vis illata sit, vel hostibus auxilium suppeditetur, ita Quintius ad Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum, vos, inquit, vestramque Amicitiam ac Societatem Populi Romani non violavi, Quibus igitur rebus Amicitia violatur? nempe his maximè duabus, si socios meos pro hostibus habeas, & si cum hostibus te conjungas.

2. Secundò, inter diversos Principes vel populos delinquitur, cum Bona auferuntur, vel regiones, aut territoria occupantur, ita Plateenses apud Thucydidem, aiunt, Communis omnium mortalium Lex est, ulcisci eos qui nostra deprædantur. Itaque Romani Ligures latrociniis infestos bello prosequuti sunt, donec

donec Posthumius ita eos exarmâsset, ut vix reliquerit ferrum quo terra coleretur; tum vero injuriæ grandiores sunt, cum ditiones aut regna invaduntur, ita Jeptha tuendorum finium causâ adversus Ammonitas bellum gessit, & Belli Asiatici occasio traditur, cum ex testamento Attali Romani provinciam occupassent quam Aristonicus regii sanguinis juvenis sibi deberi ratus, armis vindicabat.

3. Tertiò, Delictum est in Pace cum contra Jus Colloquii, vel Legationis quid admittitur, vel quod ex conventione, vel fœdere civili debetur, non observatur, 1. Ad jus Colloquii spectat, cum quis occasione congressus, vel colloquii lædituꝛ, vel decipitur, ut cum Cornelius Asina Consul Romanus simulato colloquio ad Carthaginensium Ducem evocatus, oppressus fuit, perfidiæ Punicæ, inquit *Florus*, documentum; Et cum Johannes Dux Burgundiæ, Carolo VII. Galliæ Regi in colloquutione veniens, à nonnullis familiaribus Aureliani Ducis, magnæ apud Carolũ authoritatis, interfectus est, quæ cædes, inquit *Cominæus*, postea maximarum calamitatum causa fuit. 2. Circa Jus Legationis pro delicto est, si Legati nõ admittantur, ita cum Annibal Saguntum

obsideret & à Roma Legatos venisse nuntiatum est, ipsis obviam ad mare misit qui dicerent, Nec tuto eos adituros inter tot gentium arma, nec sibi in tanto discrimine operæ pretium esse Legationes audire. Qua occasione avidè arrepta Hanno in Senatu Carthaginensi acerrimè in eum invectus est, Legatos, inquit, à sociis & pro sociis missos, bonus Imperator vester in castra non admisit, Jus gentium sustulit, Hi tamen, unde ne hostium Legati arcentur, pulsi ad vos veniunt. Simile factum Persei, Senatus accepit pro denuntiatione belli, cum Legatis Romanis in Ætoliam & Macedoniam missis, alii abesse eum, alii ægrum esse, falsò utrumque fingerent, ipsique sibi Regem conveniendi potestatem factam non fuisse renuntiarũt. 2. Si Legati ludibrio habiti sint, ut cum Legati, quos David ad Ammonem Ammonitarum Regem, post mortem patris ad consolandum eum miserat, barbæ dimidio abraso, & vestibus usque ad nates abscissis, dimissi sunt, ob quod David ipsum & Ammonitas gravi bello prosequutus est. Cum Marius Acilius Legatus Romanus à Mithridate captus, & ludibrio expositus est; cum Corinthii in eorundem Legatos prætereuntes sordes effu-

effuderunt. 3. Cum ab inferioribus, vel æqualibus superba responsa redduntur, ita Gracchus Aquilius, Æquorum Imperator, cum Legati à Romanis veniſſent, queſtum injurias, & res ex fœdere repetitum, juſſit quæ mandata haberent à Senatu Romano, ad quercum dicere, ſe interim alia acturum. Cujuſmodi reſponſum Caio Fannio Legato Romano datum, belli Dalmatici, quod Scipio confecit, cauſa fuit; Nam cum is veniſſet expoſtulatum cædem Legatorum Gentium conterminarum, Legati ſermonem non admiſerunt, prætendentes nihil ſibi cum Romanis commune eſſe. 4. Si Legatis verbera inferantur, Nam ſi quis Legatum pulſaſſet, id contra Jus gentium commiſſum exiſtimatum eſt, inquit Jureconſultus, Itaque cum Laurentium Legati à Regis Tatii propinquis pulſati eſſent nec ipſe vindicaſſet, in ipſum crimen vertebatur. 5. Multo gravius delictum habet ſi Legati morte afficiantur. Itaque cum Tolumnius, quo authore Legati Romani à Fidenatibus interempti fuerant, à Cornelio Coſſo in prælio victus fuerat, Coſſus in ipſum ſic invehebatur; Hiccine eſt ruptor fœderis humani, violatorque gentium juris! jam ego hanc mactatam

tam victimam, si modo sancti quicquam in terris Dii esse volunt, Legatorum manibus dabo. Et Leptines qui Legatum Romanum interfecerat, à Demetrio Romam missus est una cum Isocrate Grammatico qui cædis ejus suasor fuerat. Cum Senatus ad Gallos Senones Legatos misisset quæstum quid ita cum sint socii Populi Romani, hostibus Romani nominis militarent, Britomaris Celta, memor patrem suum, cum inter auxilia Romana militaret, cæsum fuisse, Legatos frustatim conscidit, & frusta per campos disseminari fecit. Quod postea flagitium à Romanis multa severitate in Gallos vindicatum. Sed & Legati aliquando, contra eos, ad quos missi sunt, delinquunt, utpote, cum insolentius quam par est, se gerunt, ita Lucius Anius Stetinius, à Latinis Legatus Romam missus, in Senatu Romano loquebatur, tanquam si victor armis Capitolium cepisset, non ut Legatus jure gentium tutus, ob quam causam Senatus adversus Latinos bellum decrevit; & cum Cæsari à Tigurinis & Helvetiis Legatio missa fuisset, ad explorandum num in Pacis conditiones conveniri posset, Cæsarque iis Obsides, & pecunias imperasset, illi responderunt, sui moris esse

esse, talia accipere, non dare, cujus insolentiæ Cæsar impatiens, statim adversus Tigurinos Labienum misit, ipse in Helvetios movit. 2. cum impudicè, & contra jus hospitii aliquid admittunt, ut Legati, qui à Magabazo Persa, ad Amyntam Regem Macedoniæ, re, ad quam venerant, impetrata, Regio convivio, multa cum humanitate excepti sunt, sed ubi per vinum, & epulas incaluerunt, multa procacitate, & impudica luxuria erga fœminas Regias usi sunt, quod cum indignè ferret Amyntæ filius, cum juvenes aliquot gladiis cinctos fœmineis vestibus ornatos in eorum locum suffecisset, Legatos eadem lascivia eosdem tractantes, gladiis districtis interfecerunt. 3. Cum aliquid in perniciem eorum ad quos missi sunt Legati moliuntur, itaque Pelopidas, cum Thessaliam in potestatem Thebanorum redigere conaretur, Legationisq, jure se tutum arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuêsset, ab Alexandro Pheræo, simul cum Ismenia comprehensus, in vincula conjectus est; & cum Attila Rex Scythiæ, multis conjecturis deprehendisset, Bigilam Maximini Legati interpretem, eo cōsilio adhibitum, ut ipsum trucidaret, Bigilę

filium, qui in eam Legationem cum patre venerat, gladio transfigi jussit, ni Pater statim proditionis consilium fateretur, unde is nihil cunctatus omnia quæ meditata erant, aperuit, orabatque dimisso filio, in se ferrum verti, itaque in vincula conjectus est, donec misso ad hoc filio, magna pecuniæ summa ad expiandum facinus, & ad redimendam libertatem persolveretur.

4. Quartò, Circa conventionem civilem Delictum habetur, cum id de quo inter Principes, vel populos convenit, non præstatur. Vt cum Gubernator, & Proceres Scotiæ solenniter promisissent, Mariam Reginam infantulam Eduardo VI. Regi Angliæ, etiam impuberi, si cum ad maturam ætatem pervenirent, utraque consentiret, enupturam, & postea in gratiam Regis Galliæ, contra pactam fidem Delphino desponsassent, Protector Regis, & Proceres Angliæ indignè ferentes bellum Scotis moverunt, eosque magna clade affecerunt, multis millibus in acie interemptis, & præcipuis nobilium captis, inter quos Huntleius, cum interrogaretur, numquid jam probaret propositum Regis Eduardi cum Maria Regina matrimonium, respondit, sibi quidem matrimonium

monium illud non displicere, ambiendi vero modum nequaquam probare posse. Item contra conventionem fit, cum circa promissa, vel debita falsò & dolosè agitur, sicut cum Græci Phœnicibus naves aliquot deberent, naves, sine clavis, velis & remis tradiderunt. Cui non dissimili astutia Ducem Mediolani promissionem eluisse narrat *Cominæus*, cui cum Dux fateretur se pollicitum quidem Regi Galliæ naves aliquot subministrare, non tamen ut iis militem Gallicum imponeret, respondit, hanc excusationem esse, ut si quis mulam alicui commodato daret, ut transiret Alpes, atque interim juberet, ut pedes illam deduceret, neque alium ejus usum concederet. Nec tamen est de quo querantur decepti, qui in re gravi, ac seria, responso levi aut dubio credunt, quomodo se, & Dominum suum delusit Legatus Gallicanus, qui cum post mortem Franciſci Sfortiæ Ducatum Mediolanensem, Regis sui nomine, à Carolo V. Imperatore, petiisset, respondit Imperator, sibi idem placere quod fratri suo, Regi Galliæ; quibus verbis Legatus Carolum assensum præbuisse ratus, de eo Regem statim certiorem fecit, cum Carolus eo animo dixerit, quod Ducatus Mediolanen-

lanensis, sibi non minus, quam Gallo placeret, nec minori studio à se retinendum, quam à Gallo expetitum duceret. Denique in Pace & delictum est, cum contra Fœdus civile aliquid commissum est, ut cum Carya civitas Peloponesi, libertatum patriæ, & sacrorum fœderum immemor, Persis hostibus contra Græciam faveret, Græci parta victoria, communi consensu Caryatibus bellum intulerunt, & viris interfectis, deleta civitate, matronas in servitutem abduxerunt; & cum Albani, Fidenati bello, ex fœdere in auxilium missi, inter duos medii expectavere fortunam, Tullus Hostilius qui proditionis fraudem irritam fecerat, hoste victo Metium Suffetium ruptorem fœderis inter duos currus religatum, pernicibus equis distraxit. Ita etiam Iliturga civitas Hispaniæ, Romanorum antea amica, quod reliquias exercitus Scipionis, eo, ut ad amicos fugientes Pœnis prodidisset, à Scipione filio expugnata, deletur funditus, cæsis & mulieribus, & parvulis.

5. Denique in his delinquendi gravius est periculum, ubi Fides violatur, aut Jurisjurandi Religio contemnitur, nam grave est fidem fallere, quæ Justitiæ totius firmamentum est, qua non solum Respublicæ,

blicæ, sed omnis humana societas continetur, & quod perjurium Atheismo sit detestabilius, cum perjuri Numen agnoscere videantur, sed ipsum irridere audeant.

Vide 1. *Bodinum lib. 5. cap. 6. Gentilem lib. 1. cap. 13. & seq. Grotium lib. 2. c. 1. §. 5.*

2. *Florum lib. 2. cap. 3. & cap. 20.*

3. *Cominæum Comment. lib. 4. Brunum, Paschalium, Besoldum de Legationibus.*

4. *Hayveardum in vita Eduardi VI. Gentilem l. 2. c. 4. Cominæum de bello Neapol. lib. 4. Ærodium decret. de Legat. & ad l. Iul. Majestatis. Bodinum lib. 5. cap. 6.*

5. *Grotium lib. 2. cap. 13. Bodinum lib. 5. cap. 6.*

SECT. VI.

De Iure Belli.

Bellum, est inter diversos Principes, vel populos, justa Contentio, estque vel solenne, quod Indictum, publicè geritur, vel minus solenne, & Repræsaliæ, quæ à privatis exercentur. Ius etiam Belli statum, Dominium, Debitum & Delictum inter eos quibuscum Bellum est, respicit.

1. SIcuti Pax, ita Bellum jure Gentium continetur. Estq; Bellum justa contentio, quæ scilicet authoritate legitima, & ex

& ex juſta cauſa movetur. Legitima authoritas eſt ſuprema, ita *Auguſtinus*, Ordo, inquit, naturalis poſcit, ut ſuſcipiendi belli authoritas ſit penes Principes. Juſta cauſa eſt Injuria, quam & vindicare licet, & repellere, unde Bellum aliud Offenſionis, aliud Defenſionis dicitur, quemadmodum *Camillus* in denuntiatione ad Gallos; Omnia, inquit, quæ defendi, repetique, & ulciſci fas ſit. Deinde bellum ſolenne eſt, vel minus ſolenne; ſolenne quod rite indictum, publicè geritur. De Indictione *Cicero* Officiorum I, Belli, inquit, æquitas ſanctiſſimè populi Romani Fœciali jure præſcripta eſt, ex quo intelligi datur nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geritur, aut ante denuntiatum eſt, & indictum. Indictionis formulam ita tradit *Livius*, Tribus Romanis puberibus præſentibus, ſic dicebat Fœcialis, quod populus priſcorum Latinorum, adverſus Populum Romanum, fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit ut bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem, Ego, Populuſque Romanus, populis priſcorum Latinorum bellum indico, facio, quod ubi dixiſſet, haſtam in hoſtium fines emittebat. Bellum

publi-

publicè geritur, cum publica sunt arma, & omnes belli periculis sunt obnoxii.

2. Bellum minus solenne est, quod à privatis suscipitur, cujusmodi belli apud antiquos duæ erant species, Ἀνδροληψία & Ἐνεχύρασμος. Ἀνδροληψία sive Prehensio hominum, erat, de qua Lex Attica, si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis, ac necessariis jus est homines prehendendi, donec aut pœna sumatur de cæde, aut homicidæ dedantur, liceat autem tres homines prehendere, & non ultra, quod secundum *Iulium Pollucem* intelligendum, cum homicidæ ad aliquos confugiunt, & postulantibus non traduntur; simile huic est, quod ad recuperandum civem injuria manifesta captum, cives Civitatis apud quam id factum est, retinentur, Et proinde Carthaginenses quidam, impedierunt ne Ariston Tyrius caperetur, ne Tyris, & in aliis Emporiis in quæ Carthaginenses frequenter commeant, iisdem, idem eveniret. Ἐνεχύρασμος sive Pignoratio est, cum inter diversos Principes, vel populos ob justitiam denegatam res authoritate publica capiendi, privatis jus conceditur, quod vulgo Repræsaliæ dicuntur. Justitia vero denegata habetur, non solum si

in

in ſontem, vel debitorem, intra tempus idoneum judicium obtineri nequeat, verum etiam ſi in re minime dubia, planè contra jus judicatum ſit, cum authoritas judicantis, non idem in exteros, quod in ſubditos valeat. Hujus juris vetuſtum exemplum eſt apud *Homerum*, ubi Neſtor narratur, ob ereptos patri equos, Elidentium pecora, & armenta cepiſſe; & in hiſtoria Romana, de Romanorum navibus, quas pro bonis Tarquiniorum, Ariſtodemus Tarquiniorum hæres, Cumis retinuit.

Vide 1. *Ayalam & Gentilem de jure belli. Petri Bellum de re militari. Grotium lib. 1. cap. 1. & 2. cap. 22. 23. Gentilem lib. 3. Grotium lib. 3. cap. 8.*

2. *Bartolum, Laudenſem, Dalnerum. Iohannem à Canibus de Repraſaliis. Grotium lib. 3. cap. 2. §. 2. 3. 4. &c.*

SECT.

SECT. VII.

De Statu inter eos quibuscum Bellum est.

Status inter eos quibuscum Bellum est, est Conditio inter ipsos, quæ ad Imperium militare refertur, quod est Dominationis, Præpotentiæ & Patrocinii militaris, vel Conditio cum aliis ex qua alii Inimici, alii Hostes habentur.

1. AD Communionem inter gentes spectat, non solum Regimen, vel Imperium Civile cui sponte, & ultrò populi se subjiciunt, sed etiam Militare, quod vi, & armis, & virium, & armorum intuitu comparatur, quale est primum Imperium Dominationis, qua populi, & gentes per victoriam in servitutem redactæ sunt, quale fuit primum Imperium Asiaticum, quod *Aristoteles* qui Asiæ populos pro Barbaris habuit, Barbaricum vocat, ἀρχὴν δεσποτικὴν regimen herile, cui Asiæ incolæ pro moribus innatis libentius quam Græci, & Europæ se submittunt. Ejus initium ad Ninum refertur. De quo *Iustinus*, Temporibus, inquit, antiquioribus, Reges longinqua, non finiti-

finitima bella gerebant, nec Imperium sibi, sed populis gloriam quærebant. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum, veterem, & quasi avitum gentium morem nova imperii cupiditate mutavit, Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Lybiæ terminos usque perdomuit, Is magnitudinem quæsitæ Dominationis, continua possessione firmavit, & cum accessione virium, fortior ad alios transiret, proxima quæque victoria instrumentum sequentis erat, donec totius Orientis populos subegit. Hic in sacris Literis Nimrodus, id est Dominus metuendus dicitur, & potentissimus venator, id est Latro insignitur, quia homines liberos in servitutem redegit. Postquam Cyrus ab Assyriis & Medis totius Asiæ monarchiam ad Persas transtulit, multum de jure Dominationis remissum est. Ille enim Assyrios devictos bono animo esse jubebat, eandem ipsorum sortem fore quæ fuisset, mutato tantum Rege, mansuras ipsis domos, agros, jus in uxores, in liberos ut fuisset hactenus, Leges etiam sub hoc Imperio promulgatæ sunt, quibus ut populi, ita & Principes tenerentur. In magna vero veneratione Reges habebantur, ita *Plutarchus* narrat, quod

quod cum Themistocles Regem Persarum Græco more convenire vellet, Artabanus Præfectus Prætorio, illum ab aditu repulit, neque alloqui passus est, nisi prius adorato Rege, deinde Prætorio egressum humaniter alloquutus est, factumq; ita excusavit, Laudabile est, Themistocles, suum cuique gentis institutum, vos Græci libertatem & æqualitatem amplexari consueviſtis, Nos vero nihil tam naturæ consentaneum, nihil tam decorum ducimus, quam Regis nostri Majestatem, ut Dei Optimi maximi in terris imaginem adorare, & revereri.

2. Imperium Præpotentiæ est, quo populi devicti sub fortioris potestate, & in obedientia ei continentur, ut ne damno sint, & commodis ejus inserviant, cujusmodi Imperium à Græcis, & Romanis usurpatum est, ita *Isocrates* ad Philippum, Barbari hactenus domandi sunt, quantum satis erit ut tuam regionem in tuto colloces, Lacedæmonii in initio, & Athenienses, in captas civitates nullum sibi vindicabant imperium, tantùm volebant eas regimine uti ad suam accommodato; Lacedæmonii, sub Principum potentia, Athenienses sub populi arbitrio. Agesilaus, uti narrat *Xenophon*, quascunque civi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [97] - 67 PUBLIC DOMAIN

civitates in poteſtatem ſuam redigebat, eas immunes habens ab iis quæ ſervi Dominis præſtant, ea tantum imperabat, in quibus homines Rectoribus parent. Dario victo Alexander hanc conditionem aliquoties offerebat, ut ipſe imperaret aliis, pareret Alexandro. De Romanis *Salluſtius*, Maiores noſtri religioſiſſimi mortales nihil victis eripiebant præter injuriæ licentiam; & alibi, Populo Romano melius viſum amicos quàm ſervos quærere, tutiuſque rati volentibus, quam coactis imperitare. Itaque Quintius Ætolis dicentibus Pacem firmam eſſe non poſſe, niſi Philippus Macedo regno pelleretur, dixit, ſententiam eos dixiſſe, immemores Romanorum moris, victis parcendi: & addidit, Adverſus victos maximum quemque mitiſſimum animum habere. Devictis Regibus, eos imperium permiſiſſe teſtatur *Tacitus*, qui ait Populi Romani conſuetudinem, ut haberet inſtrumenta ſervitutis, etiam Reges, à quo Antiochus appellatur, inſervientium Regum ditiſſimus. Atque hæc fortaſſis ex gratia & pro arbitrio uſurpata ſunt. Ordinariè vero Senatus, literis de victoriâ ab Imperatore, qui bellum confecit, certior factus, Ipſi, & decem, aut quinque aliis,

aliis, è Senatoribus delectis, de regione, & populo devictis, statuendi potestatem decreverunt. Hi pro meritis civitates in Præfecturas, Regiones in Provincias ordinabant, civitates quæ ingratæ erga Populum Romanum fuissent, ac fidem semel datam, atque iterum fefellissent, ubi in potestatem, ditionemque essent adductæ, in Præfecturæ formulam referebantur, de quibus *Festus*, in iis jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Respublica, neque tamen magistratus suos habebant. & in quas legibus Præfecti quotannis mittebantur, qui jus dicerent. Prima Præfectura erat Collatio jam inde à L. Tarquinio Prisco Rege instituta, quam deditione facta in fidem venisse *Livius* ait non eadem æquitate, qua Crustuminos, Nomentanosque hostes, sed armis spoliatam, ac pecuniis multatam, Præfectum etiam cum præsidio accipere jussam. Regiones in Provinciæ formam redigebantur, cum leges patriæ abrogatæ, vel novæ pro arbitrio introductæ essent, & Prætor quotannis à Senatu Romano præficeretur, penes quem Reipublicæ Administratio, & Imperium, cum exercitu, si belli gerendi causa esset. Hoc modo in Provinciam redacta est primum

primum Sicilia, deinde Sardinia, tertiò citerior Gallia, tandem à Cæsare Gallia Transalpina, & Britannia.

3. Imperium Patrocinii, sive Beneficentiæ est, quo qui à Principe Feuda, seu Beneficia militaria acceperunt, ad obsequium militare astringuntur. Cujusmodi est Imperium Longobardicum, à populis Germaniæ septentrionalibus, qui expulsis incolis, in ea Italiæ parte, quæ Gallia Cisalpina dicta est, consederunt, introductum. Hi Imperatoris Germanici potestati se subjicere noluerunt, sed liberè vivebant, suisque legibus utebantur, quorum Principes locis præcipuis, cum iis juribus, quæ Regalia dicuntur, in Dominio proprio retentis, Dignitates, & prædia Personis ad militiam idoneis ob fidelitatem, & servitia militaria concesserunt. Apud eos feudi, sive Beneficii author, Patronus, & Senior, qui feudum sive Beneficium acceperunt, vasalli appellabantur. Et Feuda erant alia cum dignitate & Jurisdictione quæ Valvasores Majores obtinebant, utpote Ducatus, Marchionatus, & Comitatus: alia cum Jurisdictione tantum quæ Valvasores Minores; & citrà utrasque, Prædia simplicia, quæ Valvasini possidebant. Horum institutum non

non dissimile erat ei, quod de Alexandro Severo Imperatore Romano *Lampridius* refert. Is enim prædia quæ ab hostibus capta erant, Limitaneis Ducibus & militibus concessit, ita ut eorum essent, si hæredes eorum militarent, dicens eos attentius militaturos, si & sua defenderent. Hanc consuetudinem Imperatores Germanici postquam Italiam receperunt, non solum retinuerunt, sed ulterius extenderunt; Fredericus scilicet, Conradus, & alii, qui cum animadverterent Magistratus in Oriente constitutos, alios Provinciarum dominium usurpasse, alios spe ampliorum opum, & dignitatum, cum hostibus Imperatorum colluisse, præter dignitatem, & administrationem, etiam utilitates earundem provinciarum Personis spectatæ virtutis, earumque hæredibus, sub similibus fidelitatis & servitii militaris conditionibus concesserunt. Obsequii sive servitii militaris originem, aliqui à moribus Germanorum, à quibus Longobardi oriundi sunt, repetunt, de quibus *Tacitus* refert, eorum Principes amplo Comitatui studuisse, quem ex bello aluerunt, ad bellum conduxerunt. Iis Principem suum defendere, tueri, sua quoque fortia facta ejus gloriæ assignare, præcipuum

puum ſacramentum erat, iis infame in omnem vitam, ac probroſum, Principi ſuperſtites ex acie receſſiſſe.

4. Conditio Principum vel Populorum quibuſcum Lis eſt vel Contentio cum aliis eſt, ex quâ alii Inimici, alii Hoſtes habentur. Inimici ſunt quibuſcum nulla eſt amicitia, vel juris communio, veluti cum Exteris. & Adverſariis, Exteri apud Græcos Barbari, apud Romanos Peregrini dicebantur, quibus ſi quid injuriæ, vel damni illatum, nullum juris remedium competebat, ut quoad aliquos belli effectus, inſtar hoſtium viderentur. Ita Jureconſultus, Si cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa habemus, hi hoſtes quidem non ſunt, quod autem ex noſtro ad illos pervenit, illorum fit, idemque eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat. Sed hoc jure, inquit *Bodinus*, jam non utimur, ob eam quæ homini cum homine intercedit humanitatis rationem. Deinde Adverſarii ſunt, cum quibus amicitia, vel juris communio quæ fuit, diſſoluta eſt, civili ſcilicet diſſenſione, ita Cæſar Pompeianos, Adverſarios frequentiſſimè appellat, de quibus etiam Jureconſultus, In civilibus, inquit, diſſentionibus, quamvis

per

per eas Reſpublica lædatur, non tamen in exitium Reipublicæ contenditur, qui in alterutras partes diſcedunt, inter hoſtes non ſunt, inter quos jura hoſtium fuerint.

5. Hoſtes propriè habentur, quos offendere, & perdere omnino licet, quorum alii deterioris, alii melioris conditionis ſunt; deterioris conditionis ſunt, quibus jura belli non conveniunt, quales ſunt Perduelles & Prædones. Perduelles ſunt qui adverſus Principem ſuum, vel Rempublicam hoſtili animo armati ſunt, quibus accedunt Rebelles, & Defectores, qui cum Principis alicujus imperio tenerentur, ab ipſo deſciverunt, Prædones ſunt, qui abſque authoritate publica, hoſtiliter graſſantur, veluti latrones in terra, piratæ in mari. Prioris generis fuerunt, quos Craſſus in citeriori Gallia Provincias infeſtantes etſi nullo illuſtri Duce, neque eo nomine aut numero eſſent, ut Populi Romani hoſtes dicerentur, conſectatus eſt, poſterioris Cilices, quos quod rupto fœdere generis humani, ſublatis commerciis, maria bello, quaſi tempeſtate præcluſerant, uti ait *Florus*, primum Servilius compeſcuit, poſtea Pompeius penitus profligavit.

Denique justi hostes sunt, quibus omnia belli jura debentur, quos ita definit *Vlpianus*, Hostes sunt, quibus bellum Populus Romanus decrevit, vel Ipsi Populo Romano, de quibus etiam *Cicero*, Hostis est, inquit, qui habet Rempublicam, curiam, ærarium, consensum, & concordiam civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, & Pacis & Belli.

Vid. 1. *Aristot. lib.* 3. *cap.* 10. *Justin. lib.* 1. *in princ. Bodinum lib.* 2. *cap.* 2.

2. *Grotium lib.* 3. *cap.* 15. *Sigonium de jure Italiæ* 12. *cap.* 11. *lib.* 1. *cap. ult.*

3. *Hoton. de verb. feud. Patronus, & Longobardici vult de feudis, cap.* 1. *Tacitum de moribus Germanorum.*

4. *Hotoman. quæst. illust.* 7. *Bodinum lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 69. *Gentilem lib.* 1. *cap.* 4.

5. *Ayalam lib.* 1. *cap.* 2. *Grotium lib.* 3. *c.* 3. §. 1.

SECT.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [104] - 74
PUBLIC DOMAIN

SECT. VIII.

De Dominio inter eos quibuscum Bellum.

Dominium inter eos quibuscum Bellum intercedit, est cum Res & Personæ singulæ captivitate in potestatem rediguntur, vel postliminio recuperantur, Et cum Res universæ deditione vel victoria in dominium veniunt.

1. LEx est, inquit *Aristoteles*, veluti pactum quoddam commune, quo bello capta capientium fiunt, & *Caïus* Jurisconsultus quæ ex hostibus capiuntur, statim capientium fiunt, adeo quidem, ut & liberi homines, in servitutem deducantur. Ad personas vero bello captas quod attinet, etsi jure gentium antiquo quo licuit interficere, in servitutem redigebantur, inter Christianos mos obtinuit captos duntaxat custodiendi, donec redemptionis pretium persolutum sit, ad arbitrium capientis, nisi de certo aliquo convenerit. In bello vero alia privatis & singulis, alia Principi vel populo acquiruntur. Privatis & singulis quæ in actu privato, qui fit occasione belli, publicè capiuntur, qualia sunt spolia quæ detra-

huntur hosti in dimicatione singulari, & quæ procul ab exercitu, in liberis & injussis excursionibus milites lucrantur, quod genus prædæ Itali *Corrariam* vocant, & à *Butino* distinguunt. Cui non dissimile est quod Nautis militantibus conceditur, Galli *Pilagium*, aut *Despoliationem* vocant, & eo comprehendunt, vestem, argentum quoque & aurum intra decem scutatos. Principi vel populo acquiruntur, quæ capiuntur actu belli publico, & communi, quia in hoc singuli Reipub. personam sustinent. Itaque prædam Marathoniam asservavit Aristides, & post prælium ad Platæas, severè edictum ne quis de præda quicquam privatim tolleret. Hanc tamen prædam Imperatores militibus aliquando diripiendam, aliquando dividendam permittunt. Direptio militi permittitur aut in populatione, aut post prælium vel expugnationem, ut signo dato discurratur. Ita Tarquinius Suessam, castra Æquorum Quintus Servilius Dictator, Veios urbem Camillus militi diripiendam dederunt. Dividitur præda aut ratione stipendiorum, aut ratione meritorum; stipendiorum ratione prædam dividi Appius Claudius volebat, ita ut proportio simplex pediti, duplex Centurio-

turioni, triplex equiti daretur: meritorum etiam ratio sæpè habita est, sicut Martius, quod fortiter feciſſet, ex prædâ Coriolanâ, à Posthumio donatus est. Vtrovis autem modo diviſio fiat, ſolebant Imperatores ſibi præcipuum aliquid aſſumere, ita *Livius* de Tarquinio, & Ipſe ditari volebat, & popularium animos præda delinire.

2. Poſtliminium est, uti definit *Paulus* Juriſconſultus, jus amiſſæ rei recipiendæ, ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter Romanos ac liberos populos, Regeſque moribus & legibus conſtitutum. Cum extraneis intercedit, id est quibuſcum apertæ inimicitiæ ſunt, ut Romanis cum Germanis & Parthis, vel quibus bellum indictum est, nam apud eos ſervi fiunt, inquit *Vlpianus*, & ab iis capti poſtliminio ſtatum priſtinum recuperant: è contra cum latronibus, & in civilibus diſſenſionibus, locum non habet, quia vice hoſtium non ſunt inter quos captivitatis, & poſtliminii jura fuerint. Hoc jus competit Perſonis cujuſcunque generis, rebus vero nonnullis duntaxat. De Perſonis *Paulus*, Poſtliminium est, inquit, hominibus cujuſcunque ſexus, conditioniſve ſint, nec enim

soli postliminio recipiuntur, qui pugnare possunt, sed omnes homines qui ejus naturæ sunt, ut usui esse, vel consilio, vel aliis modis possunt, sed & servi virtute militum recuperati Dominis suis restituuntur. Receptos enim eos non captos judicare debemus, & militem nostrum defensorem eorum esse decet, non Dominum, inquiunt Imperatores. Transfugis autem ait *Paulus* nullum est postliminium. Nam qui dolo malo, & proditoris animo patriam reliquit, in hostium numero habendus est. Sed nec qui armis victi se hostibus dediderunt, postliminium habent. Et, uti *Pomponius*, si captivus de quo in Pace cautum fuerat, ut rediret, sua voluntate apud hostes mansit, non est ei postliminium; nec quemadmodum censuit *Florentinus*, satis est corpore quem rediisse, si mente alienus est, & ideo de Attilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserant, responsum est, non esse eum postliminio reversum, quia juraverat se Carthaginem reversurum, & non habebat animum Romæ remanendi Nihil vero interest quomodo captivus reversus est, utrum dimissus, an vi vel fallaciâ ex potestate hostium evaserit. Et ad postliminium, inquit *Paulus*, sufficit,

non

non ſolum ſi in fines noſtros intraverit, ſed & ſi in civitatem ſociam, amicamve, aut ad Regem ſocium, vel amicum venerit, quia ibi primum nomine publico tutus eſſe incipit. Effectus poſtliminii eſt, non ſolum ut quis ſtatum recuperet, ſed, quod tradit *Pomponius*, cum reverſus fuerit, perinde omnia ei jura reſtituantur, ac ſi captus ab hoſtibus non eſſet. Ad res captas quod attinet, primùm immobiles ut agri & prædia poſtliminio recipiuntur, cum ut ait *Pomponius*, verum eſt expulſis hoſtibus, ex agris quos ceperunt, dominia eorum, ad priores dominos redire, nec aut publicari debere, aut prædæ loco cedere. Cui etiam congruit, quod cum loca ſacra, vel religioſa capta ſunt ab hoſtibus, deſinunt religioſa eſſe, quod ſi ab hac calamitate fuerint liberata, quaſi quodam poſtliminio reverſa, reſtituuntur. Secundò, res etiam mobiles quædam ad belli uſum comparatæ poſtliminio recuperantur, ita *Marcellus*; Navibus, inquit, longis, atque onerariis propter belli uſum, poſtliminium eſt, non piſcatoriis, aut ſi quas actuarias voluptatis cauſa aliqui paraverunt, equus etiam aut equa fræni patiens recipitur poſtliminio. Arma vero poſtliminio reverti negatur, quia turpiter,

& non ſine flagitio amittuntur,& idem de veſtibus affirmat *Pomponius*.

3. Deinde univerſum Dominium in res & perſonas,regiones ſcilicet & populos,acquiritur Deditione & victoria; Deditio eſt cum populus in alterius poteſtatem concedit quæ aliàs vis & arma ereptura videbantur, ita Syriæ, Meſopotamiæ, Libyæ, & Ciliciæ populi, ſe & res ſuas Nabuchodonoſori conceſſerunt. Omnis, inquiunt, civitas noſtra, omnes montes & colles & campi, & armenta boum, gregeſque ovium, & caprarum & equorum, & camelorum, & univerſæ facultates noſtræ & familiæ in conſpectu tuo ſunt, ſint omnia noſtra ſub lege tua, Nos etiam & filii noſtri ſervi tui ſumus. Ita Faliſci Romanis per Legatos, in Senatu, ſub ditione veſtra ſumus, mittite qui arma, qui obſides, qui urbem patentibus portis accipiant, nec vos fidei noſtræ, nec nos imperii veſtri pœnitebit. Et Campani ad eoſdem Romanos, Populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram, Patres Conſcripti, Populique Romani ditionem dedimus, quicquid deinde patiemur, Dedititii veſtri paſſuri. Cujuſmodi deditionis effectus, uti refert

Livius,

Livius, eſt, ubi omnia ei qui armis plus poteſt, dedita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus eos multari velit, ipſius jus atque arbitrium eſt. Victoria plenaria habetur cum hoſtes clade afficiuntur, qua bello finis imponitur, unde urbes, territoria, regiones in victoris dominium veniunt. Itaque cum Volſcorum Legati, urbes à Romanis captas inſtinctu Coriolani repeterent, reſponſum eſt: Si nobis oppida dediſſetis, poſt pœnitentia ducti, ea repeteretis, certè injuria vobis fieret, niſi ea reciperetis: ſi vero jure belli iis ſpoliati fuiſtis, cum nullum amplius in ea dominium habeatis, injuriam facitis quod res alienas appetatis. Nos enim juſtiſſimas poſſeſſiones ducimus, quas armis victores quæſiimus, nec legem iſtam nos prius conſtituimus, nec eam hominum potius quam Deorum exiſtimamus, ſed cum omnes tam Græcos, quam Barbaros hac uti ſciamus, nihil molliter remittemus. Magnum enim eſſet vitium, ſi quis virtute & fortitudine parta per ignaviam & ſtultitiam amitteret.

4. Ita Romani ab armis & armorum intuitu, Regiones cum populis ſub poteſtate, ad publicum commodum, alias jure proprio, alias jure ſubſidiario, alias

alias jure clientelari habuerunt. Jure proprio in Poteſtatem populi Romani devenerunt, cum regiones una cum populis in ejuſdem Imperii ditionem aſcitæ ſunt, & cum populi Imperii Romani in regiones devictas deducebantur. De primo modo *Livius* rem Romanam auctam dicit hoſtibus in civitatem receptis, & *Seneca*, quid hodie eſſet Imperium niſi ſalubris prudentia victos, victoribus permiſcuiſſet? & *Claudius* apud *Tacitum* Conditor, inquit, noſter Romulus, tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, deinde cives habuerit. Nimirum poſt atrocem pugnam cum Sabinis, qui ob virgines raptas urbem invaſerant, pax facta eſt cum Tatio eorum Rege, ſequutaque, inquit *Florus*, mira res, ut relictis ſedibus ſuis, in novam urbem hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis, avitas opes pro dote ſociarent; & Tullus Hoſtilius Alba diruta, omnes opes urbis, ipſumque populum Romam tranſtulit, prorſus, ut idem *Florus*, ut conſanguinea civitas non interiiſſe, ſed in ſuum corpus rediiſſe videretur. Ita ſuperatis penitus Latinis Camillus in Senatu conſuluit; Pacem vobis quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel ſæviendo, vel ignoſcendo

scendo potestis: Vultis crudeliter consulere in deditos, victosque? Licet delere omne Latium, vastasque inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella, magnaque sæpe usi estis: Vultis exemplo majorum, augere rem Romanam victos in civitatem accipiendo? Materia crescendi per summam gloriam suppeditatur. Certe firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent &c. De posteriori modo *Gellius*, qui tradit, Colonias fuisse civitates, ex civitate Romana propagatas, nam Romulus, uti refert *Dionysius*, quæ oppida bello cepit, ea neque diruit, neque libertate multavit, sed ferè in agrum ab iis captum colonias ab urbe deduxit, deinde Romuli vestigia, cæteri Reges, atque exactis Regibus, Senatus, populusque, & Senatus populique authoritate infirmata, Imperatores sequuti sunt. Cujusmodi instituti prudentissimi sex causas ex veterum annalium verbis *Sigonius* recenset, unam ad priores populos coërcendos, alteram ad hostium incursiones reprimendas, tertiam stirpis augendæ causa, quartam plebis urbanæ exhauriendæ, quintam seditionis evitandæ, sextam ut præmiis milites veteranos afficerent.

5. Jure ſubſidiario Regiones habebantur, quæ potentioribus neceſſaria ſuppeditare tenebantur, veluti milites, pecuniam, annonam & ſimilia. Ita Romani ex iis gentibus Italiæ cum quibus fœdus pacis inierunt, & ex Provinciis milites imperare potuerunt: de quibus *Polybius*, Per idem tempus magiſtratus Conſulari poteſtate præditi edicunt Præfectis ſociarum civitatum in Italia, è quibus putant auxilia accerſenda, numerum indicantes, diemque & locum in quem convenire oporteat qui delecti fuerint, ac civitates ſimili edicto, delectu habito, mittunt ſacramento adactos milites, conſtituto Præfecto, & mercedis exhibitore. Pecuniæ tributum erat annuum quod Provinciis impoſitum erat, de quo *Petilius Cerialis* apud *Tacitum* pro Romanis ad Gallos ſic diſſeruit, Nos quanquàm toties laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tuemur, nam neque quies ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Denique pro annona in Provinciis Agricolæ frumentum Decumanum ſine pretio dare, & emptum pretio, Romæ Senatus conſulto, conſtituto pendere tenebantur.

6. Clien-

6. Clientelæ jure sub potestate sunt populi liberi qui ob protectionem in fide & obsequio constituti sunt. Ita cum duæ essent in tota Gallia factiones, Æduorum scilicet & Arvernorum, populos alios qui ipsis adhærebant, Cæsar Clientes appellat, de populis & gentibus qui in Romanorum clientela erant, apud eos erat (uti loquitur *Tacitus*) Romani imperii reverentia, & de iis *Florus*. Illique reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem, & victorem gentium Populum Romanum reverebantur. Ita Campani cum protectionem Romanorum peterent; Nulla Colonia vestra, inquiunt, erit quæ nos obsequio erga vos, fideque superet, quod vos pro salute nostra prius feceritis, id nos pro imperio vestro & gloria semper faciemus. In eo clientes à vasallis differunt, quod vasalli in ditione & sub Imperio Domini supremi sunt, Principes & populi in clientela aliorum ab imperio sunt immunes: ita *Proculus* Jureconsultus; Clientes nostros liberos esse intelligimus, etiamsi neque authoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares sunt.

Vide 1. *Grotium lib. 3. cap. 6. §. 12. &c.*
2. *Digest. & Cod. de Captivis & postliminio.*
3. *Arni-*

3. *Arniſæum lib. 1. cap. 3.*
4. *Grotium lib. 3. cap. 15. §. 3. & Sigonium lib. 2. cap. 2.*
5. *Roſinum lib. 10. cap. 4 & 22.*
6. *Arniſæum lib. 1. cap. 4. num. 3. 6. 7.*

SECT. IX.

De Debito inter eos quibuſcum Bellum.

Debitum inter eos quibuſcum Bellum eſt, eſt quod iis præſtandum quibuſcum Lis, aut Bellum intercedit, veluti Ius congreſſus, Legationis, Conventionis, & Fœderis militaris, quæ quandoque obſidibus datis, vel cautione reali confirmantur.

1. CONgreſſus militaris eſt, cum Principes, vel Duces belli in colloquium, vel in pugnam conveniunt. In colloquium convenitur, ut rationibus hinc inde prolatis, lites forſitan tranſigantur. Ita in colloquium conveniſſe perhibentur, Eumenes, & Ptolomæus: Seleucus, & Demetrius ad Oroſſum, Lucullus, & Pompeius apud Damulam; Cæſar, Antonius, & Lepidus, exercitibus pone ſe relictis, coierunt ad pontes Lavinii fluminis, nempe apud urbem Bononiæ: ad id loci

loci ubi perventum est, Lepidus, insulâ, quæ ibi est, perlustratâ, chlamyde signum dedit, quo viso insulam intrarunt, & relictis ad pontes trecentis unà cum amicis, in medium progressi aperto campo constiterunt, Cæsar propter imperium medius. In pugnam Principes conveniunt, ut eventu victoriæ controversiæ terminentur, & Primò, quandoque ipsi in certamen singulare coëunt, Secundò, quandoque condicto militum numero decernunt, Tertiò, plerumque inter exercitus præliis dirimendas lites subjiciunt. De certamine singulari inter Principes refert *Agathias*, Morem fuisse Francorum ut si quæ inter Reges oriantur discordiæ, aciem omnes instruant, tanquam bellaturi ad rem decernendam; at ubi conspicati sunt se invicem Exercitus, Regibus authores sunt, ut jure potius decertent, aut si nolint ipsi inter se singulari certamine, & suo duntaxat periculo, rem transigant. Neque enim aut æquo, aut bono, aut patriis institutis convenire, ut ipsi, ob propria odia bonum publicum labefactent, & evertant. Ita olim Hillus, & Echemus de Peloponneso, Hyperochus, & Phemius de regione ad Inachum; Pyræchne, Ætolus, & Degmenus

Epeus

Epeus de Elide, Corbis & Orsua de Iba contenderunt. 2. Quandoque condicto, & certo numero ad decernendum de belli causis certamina ex consensu Principum, & pugnantium ineuntur. Ita inter Ætolos, & Elæos bini utrinque congressi sunt; inter Romanos, & Albanos, misso, inquit *Florus*, in compendium bello, tres Horatii, cum tribus Curiatiis; inter Lacedæmonios, & Argivos treceni utrinque, cum utriusque partis discrimine pugnaverunt. 3. Plerumque inter majores exercitus, dimicationibus prævis, & præliis subsequentibus lites expediuntur; ita cum Alexander primùm Persiam intrasset, missa à Dario parte exercitus, quibus mandarum, ut insanientem Philippi adolescentulum, verberibus castigatum ad se adducerent, Alexander, in eminenti Granici ripa astantes, cum multo suorum discrimine aggressus, virtute Macedonum vicit, & profligavit. Deinde cum toto Darii exercitu, aciebus hinc inde instructis, congrediens, prælium iniit, quo Persarum peditum centum millia, Equitum decem millia interfecta; ex parte Alexandri, quatuor, & quingentis sauciis, peditum triginta duobus, Equitum quinquaginta tantum interfectis. Deinde cum iterum

ſterum Granicum ſuperaſſet, & Mazæus, Darii Dux præcipuus, contra eum mille equites præmiſerat, Alexander Ariſtona Pæonum equitum Præfectum, laxatis habenis in ipſos invehi juſſit, qui inſigni pugnâ cum hoſtibus commiſſa, Satrapocen præfectum Equitatus Perſarum, directa in gutture haſta transfixit, fugientemque per medios hoſtes conſequutus, ex equo præcipitavit, & obluctanti caput gladio dempſit, quod relatum magna cum laude ante Regis pedes poſuit. Inde Alexander, cum exercitu contra Darii copias profectus, cum iiſdem ad Arbellas pugnavit, ubi Dario in fugam verſo, Perſarum quadraginta millia cæſa, Macedonum minus quam tercentum deſiderati ſunt.

In his Congreſſibus armatis, ſive præliis, qui virtutis eminentioris ſunt; Dignitatis, & Honeſtatis rationem habent. Itaque cum ante prælium ad Arbellas Parmenio furto, non prælio opus eſſe cenſeret; intempeſta nocte opprimi poſſe hoſtes, diſcordes moribus, linguis, ad hæc ſomno & improviſo periculo territos, quomodo in nocturna trepidatione coïturos? at interdiu primũ terribiles occurſuras Scytharum, Bactrianorumque facies, hirta illis ora, & intonſas comas eſſe, præter-

præterea, eximiam vaſtorum corporum magnitudinem, Militem vanis, & inanibus magis, quam juſtis, formidinis cauſis moveri, omneſque ferè Parmenioni aſſentirentur, Polyſpercon haud dubie in eo conſilio victoriam poſitam arbitrabatur, Alexander, Latrunculorum, inquit, & furum iſta ſolertia eſt, quam præcipitis mihi, quippe illorum votum unicum eſt fallere, Meæ vero gloriæ ſemper, aut abſentiam Darii, aut anguſtias locorum, aut furtum noctis obſtare non patiar, malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat. Itaque ad prælium vos parate. Ad honeſtatem refertur, quod cum Camillo Conſule, Faliſcos circumſedente, magiſter ludi plurimos, & nobiliſſimos inde pueros, veluti ambulandi gratia, eductos in caſtra Romanorum perduxiſſet, quibus interceptis, non erat dubium, quin Faliſci, depoſita belli gerendi pertinacia, traditurі ſe Romano imperio erant, de ea re Senatus cenſuit, ut pueri magiſtrum vinctum, virgis cædentes, in patriam remitterentur, qua juſtitia animi eorum ſunt capti, inquit *Valerius*, quorum mœnia expugnari non poterant. Nam Faliſci beneficio magis, quam armis victi, Romanis portas aperuerunt. *Florus*, Eam, inquit, Camil-

Camillus vir ſanctus, & ſapiens ſciebat veram eſſe victoriam, quæ ſalva fide, & integra dignitate pararetur. Ita etiam cum Timochares Ambracienſis, Fabricio Conſuli pollicitus eſſet, ſe Pyrrhum veneno, per filium ſuum, qui potionibus ejus præerat, necaturum; Fabricius rem ad Senatum detulit, & author fuit, ut miſſis Legatis, Pyrrhus moneretur, ut adverſus hujus generis inſidias cautius ſe gereret, memor urbem à filio Martis conditam, & armis bella, non venenis geri debere. De quo etiam *Seneca*, Fabricius, inquit, Pyrrhi Regis aurum repulit, & idem Medico Pyrrhi promittente, ſe venenum daturum, monuit Regem, ut caveret inſidias, & ejuſdem animi fuit, auro non vinci, veneno non vincere. Vnde, admirati ſumus, inquit, ingentem nimirum virum, & quod difficillimum, in bello innocentem, & qui aliquid crederet, etiam in hoſtem nefas. Ad hoc exemplum, cum Cattorum Princeps, Arminii Romanorum hoſtis ſæviſſimi, & perfidi mortem polliceretur, ſi patrandæ neci venenum mitteretur, Tiberius Imperator, & Senatus reſponderunt ſe non fraude, & occultè, ſed armatos, & palàm hoſtes ſuos ulciſci.

Nec

Nec tamen omnia viribus duntaxat, in bello ſunt præſtanda, quædam etiam honeſtâ aſtutiâ, & ſolertiâ perfici poſſunt. Ita *Polybius* ait, quæ vi fiunt in bello, aliquando minoris eſſe quàm quæ ex occaſione, & dolo geruntur. Et *Valerius Maximus*, eſt pars, inquit, aliqua calliditatis egregia, & ab omni reprehenſione remota, cujus opera, ſtratagemata vocantur, quæ & in paucorum certaminibus, & in præliis inter Exercitus adhibere licet. De paucorum certamine inſigne eſt exemplum quod refert *Florus*, ubi Romani & Albani pari robore, frequentibus præliis, utrique comminuerentur, Horatiis, Curiatiiſque tergeminis hinc atque inde fratribus, utriuſque populi fata commiſſa ſunt. Anceps, & pulchra contentio, exituque ipſo mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occiſis qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut diſtraheret hoſtem, ſimulavit fugam, ſinguloſque prout poterat, adortus, ſuperavit. De præliis inter Exercitus, in quibus non minus ſolertiæ, quam virium adhibitum eſt, exempla etiam commemorat. *Valerius*, primùm Annibalis cum Romanis, deinde Romanorum cum Aſdrubale & Annibale. Annibal, inquit, priuſquam

quàm ad dimicandum Cannenſi prælio deſcenderet, aciem populi Romani compluribus aſtutiæ laqueis implicavit; ante omnia enim providit, ut & ſolem, & pulverem, qui ibi vento multus excitari ſolet, adverſum haberent: deinde partem copiarum ſuarum, inter ipſum prælii tempus, de induſtria fugere juſſit, quam cum à reliquo exercitu abruptam, Legio Romana ſequeretur, trucidandam eam ab iis quos in inſidiis collocarat, curavit: poſtremò quadringentos equites ſubornavit, qui ſimulata tranſitione, petierunt Conſulem, à quo juſſi, more transfugarum, depoſitis armis, in ultimam pugnæ partem ſecedere, deſtrictis gladiis, quos inter loricas, & tunicas abdiderant, poplites pugnantiũ Romanorum cæciderunt. Hæc, inquit, fuit Punica fortitudo dolis, & inſidiis, & fallacia inſtructa, quæ nunc circumventæ virtutis noſtræ excuſatio eſt, quoniam decepti magis quam victi fuimus. Deinde refert, cum alterum Italiæ latus Annibal laceraret, alterum invaſiſſet Aſdrubal, ne duorum fratrum junctæ copiæ, intolerabili onere feſſas ſimul res Romanas urgerent, hinc Claudii Neronis vegetum conſilium, illinc Livii Salinatoris inclyta prudentia effecit.

Nero

Nero enim compreſſo à ſe in Lucanis Annibale, præſentiam ſuam (quoniam ratio belli ita deſiderabat) mentitus hoſti, ad opem Collegæ ferendam per longum iter mira celeritate tetendit. Salinator apud Metaurum flumen in Vmbriâ proximo die dimicaturus, ſumma cum diſſimulatione Neronem caſtris noctu recepit. Tribunos enim à Tribunis, Centuriones à Centurionibus, Equites ab Equitibus, Pedites à peditibus excipi juſſit, ut ſine ulla tumultuatione, ſolo vix unum exercitum capiente, alterum inſeruit. Quo evenit, ut Aſdrubal cum duobus Conſulibus ſe præliaturum neſciret, priuſquam ab utriſque proſterneretur, Ita, inquit, illa toto terrarum orbe infamis Punica calliditas fruſtrata fuit, cum Romana prudentia Annibalem Neroni, Aſdrubalem Salinatori decipiendum tradidit.

2. Legatio militaris eſt, quæ ad tractandum de Rebus ad bellum pertinentibus adhibetur. Qui hujuſmodi Legationes ordinariè obibant, apud Græcos Caduceatores dicti ſunt, quod Caduceum, ſive baculum Mercurialem, anguium criſtatorum effigie circumdatum geſtabant: apud Romanos Fœciales appellati ſunt, quo-

quorum præcipuus erat Paterpatratus, qui & patrem & liberos habebat, qui pro insigni gerebant, verbenam, herbam Jovi sacram, quâ etiam domus lustrabantur. His apud Modernos Heraldi succesſerunt, Regum solennes nuntii, qui insigniuntur veste pictâ, vel versicolori, insigniis Principum à quibus mittuntur, segmentata. Hujusmodi nuntii ad expostulandum injurias, ad res ablatas repetendum, ad minas, aut bellum denuntiandum, ad securitatem Legatis aliis veniendi,& redeundi impetrandam, adhibebantur. Extraordinarii,& magis solennes Legati sunt, qui ad tractandum de Induciis, & pace earumque conditionibus destinantur. Hujusmodi Legatis eadem humanitatis & benignitatis officia quæ Legatis Civilibus, nequaquam exhibentur; adventantibus obviam mittuntur, qui denuntient,ne propius accedant,neque in urbem, aut in castra admittuntur. Prisco instituto, apud Romanos, Legatis hostium, ad Bellonæ ædem, extra urbem Senatus dari solitus est. Ita Ezechias Legatum Senacheribis, Hierosolyma exclusit. Et Gothi, qui præsidio Vrbinum tenebant, oratores Belisarii in urbem admittere renuerunt. Titus Quintius, Legatos Bœoto-

Bœotorum, qui tunc hoſtes erant, in caſtra non admiſit. Conſtantius etiam Legatos Magnentii caſtris excluſit. Quandoque tamen, à potentioribus miſſi majori comitate excipiuntur, ita Pyrrhus Legatis Romanis, ad redimendos captivos, caſtra ſua petentibus, quo tutius venirent, Lyconem Moloſſum obviam miſit, & quo honoratius exciperentur, Ipſe cum ornatu Equitum extra portam iis occurrit, ſecundarum rerum ſucceſſu, non adeo elatus, ut officii reſpectum in eos deponeret, qui tum maxime armis cum eo diſſentirent. Et qui vires ſuas oſtendere non verentur, Legatos quandoque in caſtra admittunt: ſic Legati Scytharum viginti, per caſtra Alexandri equis vecti, in tabernaculum admiſſi, & conſidere juſſi ſunt, ſic Conſtantinum Legatum Romanum Pirozes, & Tullius Menophilus Legatos Carporum, in caſtris excepit. Conſules Romani, qui Vticæ erant, cum à Carthaginenſibus Legatio adveniſſet, in ſublimi tribunali conſidentes, adſtantibus utrinque Ducibus, & Tribunis, & agminibus legionum, fulgentibus aquilis, fixiſque ubique ſignis, ut Legati numerum copiarum ingentem agnoſcerent, tuba ſilentio indicto, per præconem Legatos accedere juſſerunt.

Illi

Illi per Ordines armatorum transeuntes, ad locum Tribunalis pervenerunt, ibi Legati jussi quid petentes veniissent, exponere. His tamen non minus, quam Legatis in pace securitas debetur. ita *Cicero*, Legatus is esse debet, qui non tam Caduceo, quam nomine Oratoris inter hostium tela incolumis versari possit.

3. Conventiones Militares, sive bellicæ sunt (de quibus *Vlpianus* Jurisconsultus) quoties Duces belli, quædam inter se paciscuntur. Et Duces belli vel summi sunt, utpote Imperatores quorum auspiciis bellum geritur, ita *Livius*, Nec ducem belli agnoscimus, nisi cujus auspiciis bellum geritur: vel Inferiores, unde Cæsar, aliæ Imperatoris, aliæ Legati partes sunt, alter liberè, ad summam rerum consulere, alter ad præscriptum agere solet: & hujusmodi Duces, de iis quæ ad Belli administrationem pertinent, paciscipossunt, cum Princeps vel Dux summus in remotis agit. Ejusmodi pacta vel conventiones sunt. 1. de Commeatu. 2. de Induciis. 3. de Captivis permutandis & redimendis. 4. De Conditionibus, iis, qui loca obsessa dedunt, præstandis, & similia. 1. Commeatus est Licentia, durante bello, personis singulis, vel certis, concessa

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [127] - 97
PUBLIC DOMAIN

tutò eundi, & redeundi, quibus ſecuritas præſtanda, non ſolum intra territorium, ſed etiam alibi, à militibus concedentis. 2. Induciæ à *Paulo* definiuntur, Cum in breve, & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſant, *Varro* caſtrorum pacem, & belli ferias vocat. In quibus ab omnibus actibus bellicis abſtinendum, ire, redire, ſine apparatu bellico permittendum. Quemadmodum cum Roma à Tarquinio obſideretur, & inter Porſennam & Romanos factæ eſſent induciæ, ubi Ludi Circenſes in urbe celebrarentur, hoſtium Duces ingreſſos, curuli certamine contendiſſe, & victores coronatos fuiſſe, perhibetur. 3. Conventiones ineuntur de permutandis, & redimendis captivis. Nam quamvis, Alexander Regiè dixerit, Me non mercatorem memini, ſed Regem; Captivos, ſi placuerit, reddi, dono dabimus honeſtius, quam pretio remittemus: & Pyrrhus ſe gratis redditurum captivos polliceretur, ſi Pax fieret, alias nullo modo, cum iniqua eſſet petitio ut iis captivos redderet, quibus hoſtes contra ſe uterentur. Aliis tamen honeſtum ſatis, & magis utile viſum, pretio redimendos proponere: ita Annibal, cum milites quidam Romani, poſt

pugnam

pugnam Cannenſem in manus veniſſent, pretium redemptionis ſingulis conſtituit, Equiti ſcilicet quingenos quadrigatos nummos, pediti trecenos, ſervo centum. Decemque ex iis, ut aurum in redemptionem impetrarent, Romam miſit, jurejurando prius adactos, ſi non impetrarent, ſe ad hoſtem redituros. Quorum cum unus, in ſenatu cauſam egiſſet, & clamore flebili ſublato, orantium ut ſibi Liberos, fratres, cognatos, Patres redderent; Alii de publico, alii de privato, alii ex ærario pecuniâ mutuâ redimendos retulerunt. Sed Titus Manlius Torquatus, quod cum Publio Sempronio Tuditano, & aliis, qui ipſum fœliciter ſequuti, in hoſtes erumpere noluerunt, non magis eos redimendos cenſuit, quam illos Annibali dedendos qui per ſummam virtutem patriæ ſe reſtituiſſent. Et Certe Romana Civitas, uti refert *Livius*, in captivos jam inde antiquitus minimè indulgens: ac proinde Quintus Fabius Maximus, qui de redemptione captivorum, qui melius meriti erant, cum hoſtibus pepigiſſet, cum id pactum à Senatu improbaretur, fundum ſuum ducentis millibus vendidit, & datæ fidei ſatisfecit. 4. Vt dominia & territoria, ne vi ab aliis abripiantur,

in poteſtatem aliorum pura deditione nonnunquam conceduntur, ita arces, oppida, & loca præſidiis munita, ad evitandum expugnationis incommoda, pactis prius conditionibus, hoſtibus deduntur, & ſi priuſquam periculum extremum immineat, ad Imperatoris fidem confugiunt, meliores conditiones ſortiuntur. Ita Cæſar Adnaticis denuntiavit, ſe eorum civitatem conſervaturum, ſi priuſquam aries murum percuſſiſſet, ſe dediſſent. Aliàs ut cum bonis decedant, ut incolumes, ut cum armis, ut in locum certum deducantur, & obſeſſi paciſcuntur, quæ ſi deditio ſequuta fuerit, omnimodo obſervanda; itaque cum Marcus Fulvius accuſaretur, quod contra conditiones deditionis Ambraciam diripuiſſet, Iſque contenderet urbem non deditam ſed vi captam, quod aggere & vineis oppugnata fuerit, quod ſuper muros, ſubterque terram per dies quindecim pugnatum erat, Senatus cenſuit, urbi quæ propter conventas conditiones, Fulvio portas aperuiſſet, res ſuas omnes reſtituendas eſſe.

4. Fœdera militaria, ſive bellica, eorum qui ſummum imperium habent, authoritate contrahuntur, vel de Induciis longioribus quæ vulgò *Treugæ* dicuntur; vel

vel de Pace perpetua. Etsi enim induciæ plerumque, pro necessitate, & occasione aliqua præsenti, in breve aliquod tempus constitui solent, aliquando tamen pro longiori tempore conceduntur, veluti cum à Romanis Veientibus, induciæ centum annorum, deinde quadraginta, demum viginti annorum datæ sunt, quæ ad instar Pacis habentur, & cum graviori periculo violantur. Fœdus vero, vel pactum Pacis est quo convenit, de cessatione perpetua à vi & armis, ea siquidem est Pacis natura, ut sit perpetua, & sic est in formulâ, Romanis & Latinorum populis; Pax esto, dum cœlum, & terra eandem stationem obtinent; Cujusmodi fœdus, prout in tripartita *Menippi* partitione habetur, alterum est, cum pares bello, æquo fœdere in pacem atque amicitiam coeunt, alterum, cum bello victis dicuntur leges, quo in genere quid victum habere, quo mulctari eum velit, victoris est arbitrium. Illud vero propriè fœdus est, cum de bello componendo, ab utroque belligerante, penes quos est bellum decernere, convenit, in quo de offensionibus remittendis, vel reparandis, de finibus regundis, de commerciis, & similibus transigitur, tum vero firmissimè,

cum, ut Tullus Albanorum Ducem monebat, non tam cogitatur de sancienda in præsens amicitia, quam ne relinquatur in posterum ulla renovandi belli materia. Alterum minus propriè fœdus, vel pactum pacis dici potest, cum post victoriam, de futuræ pacis conditionibus victores per se statuunt, quemadmodum Carthaginenses, post primum bellum Punicum, victi, fractique, coacti sunt conditionibus à Romanis oblatis se submittere, scilicet, ut Siciliâ, & omnibus Insulis inter Italiam, & Africam excederent, duo millia, & ducenta talenta Euboïca, in viginti annos penderent, captivos Romanos sine pretio redderent, & ut utriusque populi socii, apud utrumque securi essent.

5. Atque hujusmodi Fœdera, sive pacta, ut majori authoritate contrahuntur, ita aliquando Obsidibus, qui fidei publicæ servandæ causa dantur, confirmari solent, aliquando etiam arces, & oppida in cautionem conceduntur. Cum vero victis Pax datur, majores cautelæ adhibentur; Ita vetustum Romanorum morem fuisse, tradit *Livius*, ut cum quibus fœdere, non æquis legibus, jungerentur, non prius in eos imperio, tanquam pacati ute-

uterentur, quam cum omnia divina, humanaque dedidiſſent, Obſides accepti, arma adempta, præſidia impoſita fuiſſent.

Vid. 1. *Paſchalium cap.* 28. *Grotium lib.* 2. *cap.* 23. § 10. *lib.* 3. *cap.* 20. § 43. *Gentilem lib.* 3. *cap.* 15. *Q. Curtium lib.* 1. 2. 3. 4 *Florum lib.* 1. *cap.* 12. *Valer. Maximum lib.* 6. *c.* 6. *Florum lib.* 1. *cap.* 3. *Valerium lib.* 7. *cap. Frontinum de Stratagematis.*

2. *Brunum Ayalam lib. cap.* 9. *Gentilem de Legation. lib.* 1. *cap.* 6. *Paſchalium cap.* 42.

3. *Gentilem lib.* 3. *cap.* 14. *lib.* 2. *cap.* 10. 11. *& Grotium lib.* 3. *cap.* 19. *cap.* 20. *&* 21. *Polybium lib.* 6. *Grotium lib.* 3 *cap.* 20. §. 49.

4. *Grotium lib.* 3. *cap.* 19. *&* 20. *Gentilem lib.* 2. *cap.* 1. *&* 13. *Beſoldum de Pace paciſque jure.* 5. *Ærodium rerum judicat. tit. de Pactis publ. cap.* 5. *Gentilem lib.* 2. *cap.* 19. *Grotium lib.* 3. *cap.* 20 § 52.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [133] - 103 PUBLIC DOMAIN

SECT. X.

De Delicto inter eos quibuscum Bellum.

Delictum inter eos quibuscum bellum intercedit, est. 1. cum Bellum injustè movetur. 2. cum contra Ius Congressus, & Legationis militaris quid admittitur. 3. Cum Conventiones, & fœdera bellica non observantur. 4. Cum victor in Exequutione modum excedit.

1. BEllum injuste movetur, cum nulla belli causa est, ut cum aliqui in bellum feruntur, uti ait *Tacitus*, periculorum propter ipsa, avidi; vel causam iniquam habet, ut cum bellum suscipitur desiderio mutandæ sedis, ut paludibus, & solitudinibus relictis, fœcundius solum possideatur, quod veteribus Germanis belli causam fuisse narrat, idem *Tacitus*: vel causam habet frivolam, qualis fuit, quam refert *Bodinus*, cum Scoti contra Pictos, cum quibus sexcentos fere annos pacem, & amicitiam coluissent, ob canes ereptos bellum gravissimum intulerunt. Præterea bellum injustè movetur, cum Indictione, vel denuntiatione omissa

omissa geritur, ita *Aristides* dixit, Philippum Macedoniæ Regem, Caduceatoribus non uti, ea mente, ut incautos opprimeret.

2. Contra jus congressus militaris delinquitur, 1. Cum specie colloquii insidiæ struuntur, ita Attalus, & Legati Romani in periculum inducti, cum Prusias, Rex Bithyniæ, pro mille equitibus, de quibus convenerat, universum exercitum duxit ad colloquium. 2. Cum fraudulenter, & perfidè agitur, veluti cum Albertus Comes Franconiæ in arce munitissimâ urbis Bambergensis, à Ludovico Imperatore cujus filium interemisse insimulabatur, obsideretur, Otho Moguntinus Archiepiscopus, qui se litis arbitrum profitebatur, Alberto juravit si secum ad Imperatorem proficisceretur, se, vel pacem impetraturum, vel ipsum in arcem reducturum, cui Albertus credens, ipsum sequutus est, & cum vix arcem egressi essent, Otho eum hortatur, ut in arcem pransum redeat ne forte apud Imperatorem longiusculè futura esset mora, unde redierunt, pransique iterum egressi, ad Ludovicum perrexerunt, ubi cum statim Albertus captus, & capitali supplicio damnatus esset, Archiepiscopi fidem

imploravit, cui Præsul respondit, se datæ fidei satisfeciſſe, qui semel reduxiſſet incolumem, bis reducere non promiſiſſet; cui non diſſimile id, quod Dercilidas, & Paches, egiſſe perhibentur, qui polliciti obſeſſis reditum in urbem, si ad se venirent, venientibus mortem minitati sunt, nisi urbem dederent & demum in urbem deditam reditum concesserunt. 3. Cum mendaciis hosti imponitur, ita cum Lucius Martius, & Attalus, qui in Græciam ad Philippum Regem Legati missi, reversi gloriarentur, quod per inducias, & spem pacis Regem decepissent, & magna pars Senatus probaret, veteres, inquit, *Livius*, moris antiqui memores, novam istam sapientiam improbabant, nec astu, sed vera virtute majores bella gessisse recolebant. Deinde circa congressum armatum, vel pugnam, ut indignum notatur, cum, uti ait *Cicero*, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia, qua scilicet subditi contra Principem, vel patriam corrumpuntur, unde vituperatus Philippus, qui istam artem palam factitabat, profiteri solitus, se nullam arcem adeo munitam invenisse, quæ si asinus auro onustus accederet, non statim portas aperiret, unde mercator potius quam victor Græciæ

ciæ nuncupatus est. Contra Jus Legationis militaris est delictum, si Legatis hostium vis aut injuria inferatur; unde qui Legatum hostium pulsassset, aut injuria affeciſſet, dedi hostibus solebat, ita M. Æmylio Lepido, & Cajo Flaminio Consulibus, L. Minutius & L. Manlius quod Carthaginensium Legatis manus intulissent, jussu M. Claudii Prætoris urbis, per fœciales iis traditi sunt, & Carthaginem advecti; & cum Legatos ab Apollonia Romam missos, Quintus Fabius, & Cn. Sempronius Ædiles pulsaviſſent, eos Senatus continuo per fœciales Legatis dedidit.

3. Tertiò, contra Conventiones militares delictum est. 1. Cum Commeatu concesso, personæ offenduntur, in quo Alexandri fides accusata est, qui eos, quibus abitum indulserat, in itinere interfici jussit. 2. Cum circa inducias fraudulenter agitur, quemadmodum Thraces, qui cum Thessalis triginta dierum pacti inducias, noctu populabantur agros, dicentes se dierum, non noctium inducias pepigisse. 3. Cum in restitutione personarum, & rerum, fraus adhibetur, ut cum Platæenses, qui pacti erant captivos reddere, necatos reddiderunt; & cum

Romani dimidiam partem navium Antiocho reddere obligati, naves omnes diſſecuerunt, & ſingularum partem dimidiam ei reliquerunt. 4. Et cum circa redemptionem fides non præſtatur, quemadmodum ab eo, qui cum decem aliis, ab Annibale Romam miſſis, juratis, niſi pretium impetrarent, redire in caſtra, poſtquam egreſſus eſſet, quaſi aliquid oblitus, in caſtra rediit, & deinde comites ſequutus eſt, & cum alii re infectâ ad Annibalem redierunt, domum abiit, tanquam fallaci in caſtra reditu ſe jurejurando exſolviſſet, quod cum Senatus reſcivit, cenſuit eum comprehendendum, & cuſtodibus publicè datis ad Annibalem remittendum. 5. Denique cum Deditionis conditiones non obſervantur, ut cum Saladinus, qui quod Aſcalonam valido præſidio munitam cenſuit, convenit liberaliter de deditione, cum vero militibus fere vacuum comperiſſet, quaſi deceptus, pactiones ſervare, abnuit. Contra fœdera militaria delictum eſt, cum pacta induciarum, vel pacis violantur, Veientes quod bellum Romanis contra inducias moviſſent, à ſtirpe cum oppidis omnibus à Romanis deleti ſunt. Et cum Hunniades dux fortiſſimus pacta cum Rege Turcarum

rum pace, hortatu Cardinalis Legati à Consilio, cui fœdus illud non placuit, bellum redintegrâsset; Hæc perfidia Turcas in tantam iracundiam egit, ut ingenti exercitu Christianos undique cęderent, & profligarent, ac tametsi Sigismundus Imperator innumerabiles copias ad Nicopolim coëgisset, nihilominus ingenti clade prostratus esset, & Legatus à Consilio missus, à latronibus interemptus est.

4. Denique delictum est in bello cum victores, penes quos est arbitrium, in Executione modum excedunt, utpote 1. Cum in supplices, & se dedentes sæviunt, quibus condonare, ait *Iovius*, cum humanitatis, tum Leges militiæ dicuntur, & *Sallustius* in historia Jugurthina, cum puberes post deditionem interfectos narrâsset, ait factum contra jus belli. 2. Cum fœminæ, & pueri interficiuntur, quod Thraces capta Mycalesso feciſſe narrat *Thucydides*; Macedones cum Thebas cepissent, refert *Arrianus*, Alexander vero dixit, cum fœminis bellum gerere non soleo, & de pueris Camillus, Arma, inquit, habemus non adversus eam ætatem, cui, etiam captis urbibus, parcitur. 3. Si hostibus cæsis sepultura denegetur, quod

quod belli jus commune vocat *Appianus*, Belli commercium *Philo*, ita Annibal C. Flaminium, Pub. Æmilium, Tiberium Gracchum Romanos, quæsivit ad sepulturam, Idem Hannoni à Romanis præstitum, Mithridati à Pompejo, Archelao Regi ab Antonio, & *Suidas*, Lysandro, magno dedecori fuisse tradit, quod hostes cæsos terra condi passus non sit, & cum Thebani nollent Argivos hostes sepeliri, bellum contra eos ob istam causam à Theseo, & Athenienſibus illatum *Isocrates* narrat. 4. Si loca sacra & sepulchra violentur, ita Philippus, inquit *Florus*, ultra jus victoriæ, in templa, aras, & sepulchra ipsa sæviit.

Vide 1. *Grotium lib. 2. cap. 1. & cap. 22. 23. Ayalam lib. 1. cap. 12. Gentilem lib. 1. cap. 7. &c. Gentilem l. 2. cap. 1. Curtium.*

2. *Paschalium cap. 38. 39. Volateranum Historia Franconei. Brunum lib. 4. cap. 23. Paschal. cap. 25. 26. Besoldum cap. 5.*

3. *Gentilem lib. 2. cap. 4. Florum lib. 1. cap. 12. Bodinum. l. 5. c. 6.*

4. *Gentilem lib. 2. cap. 16. 17. &c. Grotium lib. 3. cap. 4. 5. 11. & 12.*

SECT.

SECT. I.

De Iudicio inter Gentes & de Quæstionibus Pacis.

Iudicium inter Gentes est quo de Controversiis inter ipsas earumve subditos statuitur, utpote 1. *cum certos Iudices habent:* 2. *Cum in Arbitros compromittunt:* 3. *Cum ratione loci judicium subeunt:* 4. *Cum Prudentes de iis censuras ferunt.*

PRæter Judicium Belli, cujus ancipiti & luctuoso eventu Controversiæ inter Principes & populos qui superiorem non habent, ut plurimum terminantur, 1. aliquando populi vicini quantumvis liberi ad lites inter se dirimendas certos Judices habent, quales inter Amphictionas, septem scilicet celebres Græciæ urbes, quæ alias ferè omnes in societatem pertraxerunt, Judices erant, quos *Mirios* appellabant, qui in Conventibus in quibus omnium Legati interesse solebant, de rebus & causis inter ipsos contingentibus, decernebant, cujus Tribunalis tanta fuit authoritas, ut ipsi Dii sua jurgia ad Amphictionas retulisse dicantur. Et in Gallia ejusmodi conventus habitos fuisse scribit Cæsar,

Cæsar, cum tametsi Hedui, Carnutes, Arverni, Bellocassi, haberent Optimatum imperia, à se invicem divisa, omnium tamen dissidia, Druidorum decretis ac judiciis decernebantur.

2. Aliquando populi inter quos lis erat, & contentio, in aliorum Arbitrium compromittebant, ita Adrastus & Amphiaraus, de regno Argivo Eriphyæ judicium subierunt, Ardeates & Anicini coram populo, Rex Numidiæ & Carthaginienses coram Senatu Romano, Parthi & Armenii coram Arbitris à Pompeio datis disceptabant.

3. Tertiò, Principum & populorum exterorum subditi aliquando ratione Loci quo quid admissum est, apud ordinarios territoriorum Judices forum sortiuntur, ita olim Gallos & Castellanos de præda bello maritimo capta judicium in Lusitania subiisse narrat *Antonius Gamma*, sæpe Hispanos cum Hollandis, aliosque exteros de causis maritimis in curia Admiralitatis Angliæ, lites intentasse testantur *Alberici Gentilis* Advocationes Hispanicæ.

4. Quartò, de rebus inter diversos Principes & populos gestis, quantum ad famam, & existimationem attinet, penes doctos

doctos & prudentes est judicium, itaque cum Elizabetha Regina Angliæ de Maria Scota condemnata supplicio tradenda deliberaret, ne vitam tolleret inter alias ratio, ait *Camdenus*, erat Infamia apud posteros ex historiis. De causis & argumentis hujus generis quam plurimæ scriptæ sunt Disputationes & Decisiones ad justificandum & redarguendum præterita & ad futura fortassis dirigendum. Atque ad hujusmodi judicia spectant, sequentes de Pace & bello Quæstiones.

Vide 1. *Bodinum l. 1. c. 7. num. 74.*
2. *Grotium 12. c. 23. §. 8.*
3. *Gammam Decis. 384.*
4. *Camdenum anno 1587.*

2. *An cum omnibus pacem habere liceat?*

NAtura, inquit *Pomponius* Jureconsultus, inter omnes homines cognationem quandam constituit, Jure vero cognationis alii aliis opitulari & benefacere tenentur, multo magis, quod Pax exigit, ab injuriis abstinere, & Genus humanum naturaliter bonum pacis appetere, inquit *Augustinus*, quia in hac vita mortali nihil potest esse jucundius, & utilius. *Aristoteles* autem ait, quosdam, Barba-

Barbaros ſcilicet, factos ad ſerviendum, & bellum eſſe contra eos, ſicut venationem contra feras, & Philippus Rex Macedoniæ apud *Livium*, Cum alienigenis, inquit, & Barbaris omnibus, Græcis æternum bellum eſt, Naturâ enim, quæ perpetua eſt, non mutabilibus in diem cauſis, hoſtes ſunt. Hominibus tamen cum hominibus à natura non eſt repugnantia, ſed mores in concordiam vel diſcordiam eos inducunt.

Vide *Gentilem l.1. c.12. Grotium lib. 2. cap. 20.* §. 40.

2. *Vtrum à Pace an à Bello aliquando majus ſit incommodum?*

1. ANnibal ex Italia reverſus in Africam, Nulla inquit magna civitas quieſcere poteſt, Si foris hoſtem non habet, domi invenit. Et poſt finem tertii belli Punici, cum Cato delendam Carthaginem cenſuiſſet, Scipio Naſica ſervandam ſuaſit, inquit *Florus*, ne metu æmulæ urbis ſublato, Fœlicitas Romæ luxuriari inciperet. Itaque Lydiis victis Cyrus arma, & equos ademit, juſſitque cauponarias & ludicras artes exercere, & ſic Gens induſtria

ſtria quondam, potens, & manu ſtrenua, effœminata mollitie, luxuriâque virtutem priſtinam perdidit, & quos, ante Cyrum, bella invictos præſtiterant, in luxuriam lapſos otium & deſidia ſuperavit.

Vide *Livium Decad.* 3. *lib.* 10. *Florum lib.* 2. *cap.* 15. *Juſtinum lib.* 1.

3. *Vtrum Pax iniqua æquo bello ſit præferenda?*

M. Lepidus in Gallia tranſalpina Imperator, miſſis ad Senatum Legatis, ſuadebat pacem faciendam cum Antonio, ad belli civilis incommoda evitandum, quam ſententiam cum aliqui in Senatu probarent, *Cicero* diſſentiens; Dulce, inquit, eſt nomen Pacis, & res ipſa cum jucunda, tum ſalutaris, Nam neque privatos focos, neque publicas leges, neque libertatis jura chara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes civium, quem bellum publicum delectat, & nihil hoc cive, nihil hoc homine tetrius, ſi aut Civis, aut homo habendus eſt, qui Civile bellum concupiſcit, ſed hoc primum videndum eſt, an ſit aliquod bellum expiabile, in quo pactio Pacis

cis sit Lex servitutis. Idem in Epistola ad Atticum, difficillimum hoc σκέμμα πολιτικὸν vocat. An cum Patria illegitimo imperio premitur, omnino danda sit opera ejus demendi, etiamsi eam ob rem Civitas in summum discrimen adducenda sit? Alibi tamen, animo sedatiori. Mihi, ait, Pax omnis cum Civibus, bello Civili utilior videtur.

Vide *Cicer. Philip.* 13. *lib.* 9. *ad Atticum Epist.* 4. *Grotium lib.* 1. *cap.* 4. §. 19. *Ayalam lib.* 1. *cap.* 12. *Epist.* 4.

4. *An inter vicinorum arma Pax sit affectanda?*

CVm Romani primum Achæorum amicitiam peterent, & Cleomedon Philippi Legatus, mediam viam suaderet, & ut quiescerent, abstinerentque armis: Aristæus eorum Prætor, eam non mediam, sed nullam esse viam ostendit. Etenim, inquit, præterquam quòd aut accipienda, aut aspernanda est Romana societas, quid aliud quàm, (gratia nusquam stabili, veluti qui eventum expectaverimus, ut fortunæ nostra applicaremus consilia) præda victori erimus? Itaque *Portius Cato*, Pompeio, & Cæsare inter se dissen-

dissentientibus, quamvis à factionum authoribus multis in rebus Reipubl. causa dissentiret, & neutrius mentem plane probaret, eas partes sequutus est quæ plus æquitatis habere videbantur. Quæ vera sunt, cum alii aliis viribus sunt impares, æquales vero vel potentiores, à bellis vicinorum prudenter & honestè abstinere possunt, ut controversiarum Arbitri habeantur.

Vide *Livium Decad. 4. lib. 2. Ayalam lib. 1. c. 12. num. 17. 18. Bodinum lib. 5. c. ult. num. 588.*

SECT. II.

De Quæstionibus Status inter eos quibuscum Pax est.

Quæstiones de Statu inter eos quibuscum Pax est, sunt cum quæritur de Principis, vel Populi eorumve subditorum Conditione. An Status idem maneat, mutetur, an amittatur? &c.

1. *Vtrum Imperator Germanicus, etiam Romanus dici possit?*

IOhan. *Bodinus* ait, Germanos Romani Imperii nomen ad gloriam usurpare; &

Costalius

cm 1 2 3 4 5 6 7
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [147] - 117 PUBLIC DOMAIN

Costalius Jureconsultus, se nescire an sit, & ubi sit Romanum Imperium; immo *Sleidanus* Germanus natione, in oratione ad Carol V. sic ait; Quod quidem Imperium Roman. occidit, & dissipatum est, ut, & illa tria quæ ipsum præcesserunt. Nam & ad Orientem, & ad Occidentem Solem latissimè regnavit. Jam quicquid in Asia, quicquid in Africa tenuit, totum est amissum, maximam Europæ, & fertilissimam partem possedit, nunc autem ex illa veluti mole creverunt alia multa regna, prorsus ab ipso corpore separata, & nihil omnino reliquum est præter titulum & nomen, quod adhuc Germania retinet, ad quam postremo delata est potestas creandi Cæsaris, qui tamen adeo ex nulla parte, cum veteribus illis Rom. Imperatoribus conferri potest, ut ne sedem quidem avitā Cæsarum, & priscum domicilium, urbem Romam teneat. Romanum Imperium ad Germanicum devolutum, alii asserunt, Quod Jus Imperatoris Romani eligendi, semper penes Populum Romanum fuerit, cum quis à Legionibus assumeretur, Populus Romanus eundem comprobavit; cum Constantinopoli habitaret, Byzantini Quirites, qui cives erant Romani, consensum præbuerunt. Demum cum Irene

fœmina,

fœmina, excæcato filio imperium Orientis occupaverat; Cives Romani indignè ferentes, Carolum Magnum, qui suis armis Italiam pacaret, suis acclamationibus in Imperatorem cooptarunt, & à Leone III. Pontifice Romano coronari voluerunt. Quo titulo ad ipsum ejusque successores, quæ Imperatoris Romani fuerunt, nec derelicta, aut ab aliis occupata, nec pactionibus, aut jure belli in aliorum dominium concesserunt, devenêre. Cui convenit, quod in visione Danielis perhibetur, Monarchiam Rom., quæ partim ferrea, partim fictilis erat, usque in finem mundi perduraturam. Nec obstare videtur, quod veteris Romani Imperii amplitudinem, & splendorem non retineant, ita enim *Hieronymus*, ex eo quod pes imaginis desinebat in digitis partim ferreis, partim luteis, interpretatus est Imperium Romanum, prius quidem robustum & validum, postea infirmum, & imbecillum, evasurum. Et licet maxima pars ejus, ab aliis occupata sit, totum tamen non extinctum est: Nedum deficit, quod alibi collocatum sit, quia ut Civitas non mœnibus continetur, ita nec Imperium certo loco ascribitur. Roma olim auspiciis Camilli Veiis fuit, & Imperator Romanus

manſit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [149] - 119 PUBLIC DOMAIN

manſit, poſtquam Conſtantinopoli ſedem fixit.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 9. §. 1. Arumæum Diſcurſ. politic. tom. 1. diſcurſ. 2. Limnæum de jure publico lib. 1. cap. 4.*

2. *Vtrum Dignitas Imperatoria pendeat à Coronatione Pontificia?*

MOrtuo *Henrico* Imperatore, Electorum alii Philippum ejus fratrem, alii Ottonem, Imperatorem elegerunt. Vnde cum quæſtio ſuborta eſſet, Legatus à Papa miſſus, Ottonis Electionem confirmavit, cumque Principes ex parte Philippi quærerent, quo jure id ageret, reſcripſit Pontifex Innocentius III. Principibus jus competere eligendi Regem in Imperatorem promovendum ſe agnoſcere, cum jus hujuſmodi ad eos ab Apoſtolica ſede pervenerit, ſed & Principes recognoſcere debere, jus examinandi perſonam, ad Imperium promovendum, ad ipſum ſpectare, qui eum inungit, conſecrat, & coronat. Adrianus vero Pontifex in Epiſtola ad Fredericum ſcribit, multo elatius. Qui Romanum, ait, Imperium, à Græcis tranſlatum eſſe ad Alemannos,

mannos, ut Rex Teutonicorum Imperator non vocaretur, antequam ab Apostolico coronetur: unde igitur, inquit, habet Imperium, nisi à Nobis? Electione Principum suorum habet nomen Regis, ex Consecratione nostra habet nomen Imperatoris, Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat, & sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Teutonicos, ita nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Vnde etiam *Alciatus* ait à tempore Caroli Magni, Imperii Romani jus, & arbitrium penes sedem Romanam fuisse. Germani vero contendunt Imperatorem Electum, & ab Electoribus renuntiatum, vere esse Imperatorem, licet nondum habeat Pontificiam coronationem. Carolum Magnum à Populi suffragiis, non à Pontifice, cujus ad officium coronatio pertinuit, Imperium accepisse. Regibus aliis à Regnorũ suorum Archiepiscopis, vel Episcopis, ut plurimum, coronas imponi, nec tamen propterea iis regna debere. Multos Imperatores habitos, qui coronationem Pontificiã non habuerunt, utpote Maximilianum I., Ferdinandum, Maximilianum II., Rodolphum, & Matthiam qui nunquam impetrarunt. Immo cum in Coronatione Pontificia Caroli V.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [151] - 121
PUBLIC DOMAIN

Imperatoris Bononiæ celebrata, Pons ingens ſuper quem ingrediebatur, corrueret, Aliqui, uti refert *Cornelius Agrippa*, in omen vertentes vaticinati ſunt, Nullum deinceps Imperatorem in Italia coronatum iri.

Vide *Cap. venerab. Extr. de Electione. Alciatum de formula Romani Imperii. Arumæum Diſcurſ. Polit. Diſc. 3. Beſoldum de Præcedentia cap. 2. n. 4.*

3. *Vtrum Imperator in Reges, & Principes alios Imperium habeat?*

IMperatori Reges, & Populos alios ſubjici oportere tenent plerunque Itali, & ultra-montani Juriſconſulti, cum qui Jus Canonicum, tum qui Jus Civile profitentur. Canonici, quod Deus fecerit duo magna luminaria in firmamento cœli, id eſt inſtituit duas præcipuas Dignitates Papam, & Imperatorem. Quod Chriſtus ad eundem finem dixerit, Ecce Duo gladii. Quod ab Auguſto Edictum exierit ut deſcriberetur univerſus orbis. Legiſtæ quod Antoninus Imperator in reſcripto ad Eudæmonem Nicomedienſem dixerit Ἐγὼ τῶ κόσμω Κύριος. *Ego quidem mundi Dominus.* Quod in nonnullis locis Juris Civilis, omnia Principis, id eſt, Imperatoris

ris esse dicuntur. Vnde *Bartolus* audacter pronuntiat; Quod Hæreticus esset, si quis diceret, Imperatorem non esse Dominum, & Monarcham totius Orbis. Contrarium tenent, Doctores Citramontani. Imperatorem scilicet, nunquam fuisse Dominum totius Orbis, quod præcipuarum Monarchiarum temporibus fuerint etiam Reges, iis nunquam subditi: quod Imperatores Romani suas Constitutiones dirigant, omnibus aliquando Populis, sed qui suo subsunt imperio. Quod in Commerciis exercendis distinguunt eos qui Romano parent imperio, ab iis qui Regi Persarum sunt subjecti, quod alios etiam populos liberos agnoscant, cum quibus sunt jura belli, captivitatis, & postliminii. Quod etsi duo genera Potestatum, Ecclesiasticæ & Temporalis, Deus constituerit, non tamen iis duo duntaxat Capita suprema præfecerit. Quod Augustus Orbem describendum edixerit, & Antoninus se mundi dominum appellaverit, intelligendum esse, de Orbe Romano, & de ea parte Mundi cui Romani imperabant. Quemadmodum *Vlpianus* ait: ex constitutione Antonini, qui in Orbe Romano sunt, Cives Romanos effectos esse, & Judæi dixerunt Hierosoly-

mam in medio telluris ſitam, id eſt, in medio Judææ, vel telluris quæ à Judæis colebatur. Denique quod *Bartolus* pronuntiando, eum qui aliter ſenſerit, hæreticum eſſe, non minus in eo hallucinatus ſit quam ii qui decreverunt Hæreticum habendum eſſe qui Antipodes eſſe affirmaret.

Vide *Chaſſan. Catal. glor. mundi parte 5. conſid. 28. Covarruviam ad cap. Peccatum part. 2. §. 9. Franciſ. à victoria Relect. 5. Sect. 2. & 3. Grotium lib. 2. cap. 22. §. 13. Limnæum de jure publico lib. 2. cap. 8. Arniſæum de jure Majeſtatis lib. 1. cap. 2. ubi plene arguit.*

4. *Vtrum Princeps, vel Populus, clientela, vel inæquali fœdere ſtatum mutet?*

CLientes ſunt ſub Patrocinio, non ſub ditione, ut Sylla apud *Appianum* loquitur, & *Proculus*, quemadmodum, inquit, Clientes noſtros intelligimus eſſe liberos, etiamſi neque authoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſint, ſic & eos qui Majeſtatem noſtram comiter obſervare debent, liberos eſſe intelgendum eſt. Nec obſtat quod aliquando Superiori, imperandi, Inferiori parendi vox tribuitur, quod contingit in negotiis communibus. Ita *Thucydides*, Decet eos qui

qui in fœdere Principes ſunt, circa ſuas quidem utilitates, nihil præcipuum ſumere, at in communibus rebus curandis, eminere ſupra cæteros. Sæpe tamen accidit ut ſub ſpecie Patrocinii, & Fœderis inferiores ſuperiorũ imperio ſubjiciantur. Ita Theſſalos in ſpecie fuiſſe liberos, revera ſub imperio Macedonum notat *Polybius*; & Latini querebantur, ſe ſub umbra fœderis Romani, ſervitutem pati. Quæ contingunt ex patientia, cum ad tutelam præſidia inducuntur, & cum fœdus inæquale perpetuum factum eſt.

Vide *Grotium lib. 1. cap. 3. num. 21. Bodinum lib. 1. cap. 7. num. 68. Arniſæum de jure Majeſtatis, l. 1. cap. 4.*

5. *Vtrum Principis vel Populi Majeſtati deroget, Leges aliunde admittere?*

SVb initio Reipubl. Romanæ, cum exactis Regibus, Populus incerto jure uteretur, placuit in Græciam mittere, qui inde afferrent Leges, quæ duodecim tabulis conſcriptæ ſunt. Et poſtea, cum maxime florebat Imperium ſub Tiberio Claudio, ad regulandum negotia ad Nautas, & Mercatores commercia maritima exer-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [155] - 125
PUBLIC DOMAIN

exercentes, ſpectantia, à Rhodo inſula petitæ Leges Rhodiæ, quæ in corpore juris Civilis Romani inſertæ ſunt. Aliis tamen nequaquam peregrinas Leges admittendas viſum eſt, quia qui Leges alienas re cipiunt, etiam alienum imperium agnoſcere videntur. Itaque Senatus Pariſienſis veteri decreto, & Philippus Bellus Edicto ſanciverunt. Ne quis Romanorum Leges, majorum ſuorum, moribus & Legibus opponeret. Et Reges Hiſpaniæ, ſub capitali pœna vetuerunt, Romanorum leges pro jure in regnis ſuis venditare. At vero ſubjectionis ſignum eſt, Principi, vel populo invito leges externas imponi, haud ita ultro, & ſponte admittere, Nec ferendum, utpote indignum, Patriis inſtitutis & moribus leges externas opponere & proinde Imperator Antoninus leges Rhodias admittit, quatenus nulli legum adverſentur. At ubi jus proprium deficit, ibi honeſtum eſt ad alienum recurrere, quod Authores qui Conſuetudines Feudales tradiderunt, concedunt, cum ita ſtatuant, Etſi leges Romanæ, non adeo vim ſuam extendant, ut uſus vincant, aut mores, ſicubi tamen caſus emerſerit qui conſuetudine feudi non ſit comprehenſus, Peritus legum, abſque calumnia

nia, lege ſcripta, id eſt jure Civili uti poteſt. Ita quamvis *Lutherus* Juris Pontificii libros, publicè combuſſit, in iis tamen Germaniæ dominiis, quæ Auguſtanam Confeſſionem amplectuntur, cauſæ Eccleſiaſticæ, quæ religionem non concernunt, ſecundum Jus Canonicum etiamnum deciduntur. Et in Anglia poſt repudiatam Pontificis Romani authoritatem Jus Canonicum, quatenus prærogativæ Regiæ Statutis, & Conſuetudinibus regni non repugnat, approbatur, & ob eaſdem rationes Cauſæ militares in Curia Coneſtabilis, & Maritimæ in Curia Admiralli, quibus jus commune regni non ſufficit, ſecundum leges Civiles Romanas terminantur.

Vide *L.* 2. §. 4. *D. de Origine juris. Authoritatem Legis Rhodiæ apud Iacob. Gotofred. in Comment. ad L. Deprecatio D. de Lege Rhodia. Bodinum lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 101. *Choppinum de Domanio lib.* 2. *num.* 5. *Valentinum Forſterum de Iure Canon. in Academiis Reformatis retinendo. Statutum Hen.* 8. *M. Selden. Diſſertat. ad Fletam cap.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [157] - 127
PUBLIC DOMAIN

6. *Vtrum Princeps in alium Principem in ſuo territorio imperium habeat ?*

CVm Maria Scotorum Regina proditionis accuſata, judicio Delegatorum in Anglia morti condemnata eſſet, uti refert *Camdenus*, Erant boni rerum æſtimatores qui aſperiùs cum illa actum affirmabant, eò quod fuerit Princeps libera, & abſoluta in quam ſolius Dei ſit imperium; quod in Majeſtatem peccare non poſſet, quæ ſubdita non fuerit; quod Par in parem non habeat poteſtatem, unde Judicium Imperatoris in Robertum Siciliæ Regem irritum pronuntiatum eſt, quia Imperio ejus non eſſet ſubditus. Alii aliter cenſebant, Illam ſcilicet, ſubditam eſſe, etſi non originariam, tamen temporariam. Quia Duo abſoluti Principes quoad authoritatem in uno regno eſſe non poſſunt, Parem in parem habere poteſtatem, quoties Paris judicio ſe ſubmiſerit, vel expreſsè verbis, vel tacitè contrahendo, vel delinquendo, intra Paris ſcilicet Juriſdictionem, & Papam ſententiam Imperatoris in Robertum Siculum reſcidiſſe, quod factum in territorio Imperiali non fuerit, ſed Papali. Denique nullum magnum

magnum extare exemplum quod non aliquid ex iniquo habeat.

Vide *Cavadenum Eliza. anno* 1586. *Eundem narrantem Rationes Legati Regis Galliæ, & responsiones iisdem eodem anno.*

Vide *Gentilem l.* 3. *c.* 8. *de Caroli Neapol. Regis sententia contra Conradium.*

7. *Vtrum Idem Populus censendus sit, mutato imperio?*

ARistoteles, negat eandem esse Civitatem, Reipubl. formâ mutatâ, sicut, inquit, Harmonia non est eadem, ubi à Dorico modo transitur in Phrygium. An vero exolvenda sint nomina alia est inspectio, aliàs Politici, aliàs Jurisconsulti statuere possunt. Et sicut Legionis, una species est, qua regitur, altera qua militat, ita Civitatis una species est Relatio, partium inter se, quæ regunt, & reguntur, alia consociatio juris, ex qua Idem erat Populus Romanus, sub Regibus, Consulibus, & Imperatoribus.

Vide *Grotium lib.* 2. *cap.* 9. §. 3.

8. *An mutatione Loci mutetur Populus?*

SI loco migraverit Populus, sive sponte, ob inediam, sive coactus, Populus idem esse non desinit, si vero discessio sit in Colonias, novus Populus nascitur, neque ut servi, sed ut pari jure sint, dimittuntur, inquit *Thucydides*.

Vide *Grotium lib.* 2 *cap.* 9. §. 7. & 8.

9. *An Princeps subditum suum in territorio Principis alterius nobilitare possit?*

CVm Sigismundus Imperator Comitem Sabaudiæ, Lugduni Ducem creare vellet, Prætor Lugdunensis ei acerrime restitit, ita ut Imperator potestate sua liberè uti non potuerit, priusquam Regni Gallici fines excessisset. Et cum Carolus V. Imperator, hospitio admodum liberali in Gallia acceptus à Francisco Rege, ad petitionem dicti Regis nonnullos Barones, & Equites creâsset, postea disputatum, & concluſum fuit, invalidum fuisse. Pro ratione affertur, quod Princeps extra territorium instar subditi habetur, nec potest jus Principis exercere, salvâ

salvâ alterius Principis dignitate. His tamen non obstantibus contrarium ex jure defenditur, quod Princeps quoad subditos suos, in territorio Principis Amici non desinit esse Princeps: quòd quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ, extra territorium exerceri possunt, maximè si (quod in facto Caroli V. traditur) consentiente Principe territorii aliquid fiat.

Vide *Bodinum lib. 1. cap. 9. num. 202. Sleidan. Comment. lib. 12. Iosiam Nolden. de nobilitate cap. 2. 184. L. 2. D. de Officio Proconsulis.*

10. *Virum subditus cui ab externo Principe Honor delatus est, eodem apud suos gaudere debeat?*

THomam Arundellum de VVardour, bello Hungarico ad Strigonium contra Turcas præclarè meritum, Imperator Honorariis literis sacri Imperii Comitem, omnesque ejus posteros, & descendentes, Comites & Comitissas creavit. Cum ille reversus hoc honoris titulo apud vulgus inclarescceret, quæstio suborta est, An ejusmodi Titulus à Principe extero Regina inconsulta, collatus, esset admittendus. Erant qui censuerunt, Præmia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [161] - 131 PUBLIC DOMAIN

virtutis, à quocunque Principe fuerint delata, admittenda: Virtutem enim flaccescere, nisi bene meriti præmiis excitentur. Henricum III. Angliæ Regem Reginaldum Mohunum Somersetti Comitem à Pontifice Romano creatum, agnoviſſe. Henricum VIII. Roberto Curſono, quem ob virtutem militarem Maximilianus I. Imperator, Baronem ſacri Imperii creaverat, adeo gratulatum fuiſſe ut inter Angliæ Barones aſcripſerit. Barones autem Angliæ, hoc ſibi & ſuis in honoris prærogativa fraudi futurum augurantes, ita contra argumentati ſunt; Ejuſmodi Titulos honorarios, nec à ſubditis accipiendos, nec à Principe admittendos, Solius Principis eſſe, ſuis ſubditis dignitates diſtribuere, juxta illud Valeriani Imperatoris, Ea tantũ ſit Dignitas quæ nobis jubentibus ſuſtinetur, Principis Majeſtati, & ſubditorum obſequio multum detrahi, ſi Honores ab Exteris accipere permittantur. In Republica Veneta, & Genuenſi, quicunque Eccleſiaſticas Dignitates à Pontifice, vel Civiles à Principe externo accipiunt, tanquam ſuſpectæ fidei homines, ad publica munera non vocari. Mohunum in Anglia pro Comite agnitum non fuiſſe, ex actis publicis conſtare, Henri-

Henricum VIII. Cursonum pro Barone Angliæ ideo habuisse, ut umbratilem Baronis sacri Imperii titulum mature obrueret. Suffragium in Parlamentis non concessisse. Regina de his consulta dictitavit, ut mulieres pudicas, non in alium quam maritum, ita nec subditos in alium, quam quem Deus dedit, Principem, oculos conjicere decet, Nollem oves meas, alieno stigmate inuri, nollem alieni pastoris sibilum sequi. Ex eadem ratione ante biennium Nicolaum Cliffordum, & Antonium Schirleium, quos Rex Galliæ in torquatum Sancti Michaëlis ordinem ascitverat, coëgit Regina, ut resignatione facta, insignia remitterent, & curarent, ut ex ordinis illius Commentariis delerentur. Quod cum audiret Rex Galliæ, dixisse fertur, ut Regina mihi parem gratiam repona, Illa si videbitur, poterit aliquos ambitiosos Gallos, quos in Anglia proxime viderit, in Arthurianæ Mensæ rotundæ ordinem cooptare.

Vide *Camdenum anno* 1596, *& anno* 1594.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [163] - 133 PUBLIC DOMAIN

11. *Vtrum cum Idem Princeps duobus regnis præest, in altero regno natus, in alio jus Subditi obtineat?*

CVm Jure Communi Angliæ, Extraneus, vel extra regnum natus, hæreditatem in terris, vel fundis intra regnum acquirere non possit, contigit, quod postquam Jacobus Rex Scotiæ, Elizabethæ in regno Angliæ successit, Robertus Calvinus in regno Scotiæ natus, hæreditario jure, pro terris quibusdam in Civitate Londinensi, contra Johannem Bingley actionem institueret, cui Bingley pars adversa objecit, quod Calvinus esset Alienigena, quippe natus in regno Scotiæ, intra Ligeantiam Domini Regis regni Scotiæ, & extra Ligeantiam Domini Regis regni Angliæ, & proinde nec terrarum intra regnum Angliæ hæredem esse, nec pro iisdem actionem intentare posse. Pro Bingley arguebatur, quod etiamsi utrumque regnum Angliæ, & Scotiæ Jacobo Regi subjiceretur, duo tamen regna distincta, & diversa fuisse, & esse. Vtrumque regnum proprias Coronas, proprias Leges, propria, & distincta sigilla obtinere, & pro fundamento habebatur,

batur, quod quando duo jura concurrunt in una perſona, æquum eſt, ac ſi eſſent in diverſis. Pro Calvino afferebatur, quod ex monumentis Juridicis Angliæ apparet, cum Iidem eſſent Reges Angliæ, & Duces Normanniæ, & Aquitaniæ, quæ etiam diverſis legibus & moribus utebantur, ſubditos Ducatuum hæreditatum in Anglia capaces fuiſſe, & idem jus ſubditis in Hibernia, & inſulis Gernſey, & Jerſey natis, etiamnum ſine controverſia competere, Itaque pro jure Calvini Cancellarius, & duodecim Judices, omnes ſcilicet duobus exceptis, pronuntiarunt. De quibus duobus Cancellarius dixit; quod ſicut Divi Thomæ dubitatio, occaſionem præbuit, firmiùs credendi reſurrectionem Chriſti, ita eorum (quibus idem etiam fuit prænomen) hæſitationem, aliis majorem hujus ſententiæ confirmandæ anſam exhibuiſſe.

Vide *Cancellarii Egerton Orationem in Camera Scaccarii. Cook Repert. lib. 7.*

12. *An*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [165] - 135 PUBLIC DOMAIN

12. *An Civi, vel subdito Patriam aut Civitatem, venia non impetrata, deserere liceat?*

SCimus, inquit *Grotius*, Populos esse ubi id non liceat, ut apud Moschos, nec negamus, talibus pactis iniri posse societatem, & mores vim pacti accipere, At nos, quid naturaliter, si nihil aliud convenerit, obtinere debeat, quærimus. Et sanè gregatim discedi non posse, satis expeditum est. Nam id si liceat, jam civilis societas subsistere non possit. De singulorum discessione alia res videtur. De sua cuique civitate statuendi facultas libera est, ait *Tryphonius* Jureconsultus, & *Cicero* pro Balbo laudat jus illud, Ne quis in Civitate maneat invitus, & fundamentum vocat libertatis, sui quemque juris, & retinendi, & detinendi esse Dominum. Tamen hic quoque servanda est regula naturalis æquitatis, ut id non liceat, si societatis intersit, semper enim, ut rectè inquit *Proculus*, non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solet, sed quod societati expedit. Interest autem societatis civilis, non abire civem, si contractum sit magnum æs alienum, nisi paratus sit Civis in præsens partem suam exolve-

re,

re. Item si fiducia multitudinis bellum sit susceptum, præsertim si obsidio immineat, nisi paratus sit Civis ille alium æquè idoneum substituere, qui Rempublicam defendat. Extra hos casus credibile est, ad liberam civium discessionem populos consentire.

Vid. *Grotium lib. 2. cap. 5. §. 24.*

13. *Vtrum Idem duarum Civitatum simul Civis esse possit?*

CIcero in Oratione pro Cornelio Balbo, Mira, inquit, præclara atque divinitus, jam à Principio Romani nominis, à majoribus nostris ratio comparata est, Ne quis nostrûm plusquam unius civitatis civis esse possit, Dissimilitudo enim civitatum, varietatem juris habeat necesse est. Idem vero *Cicero* 2. de legibus ait sibi & omnibus Municipibus duas esse patrias, unam Naturæ, alteram Iuris, *Catonis* exemplo qui Tusculi natus in Populi Romani societatem susceptus est. Quod & Jureconsultorum sententiis confirmatur: ita *Paulus*, Senatores sicut & in urbe Domicilium habere videantur, tamen, & ibi unde oriuntur, domi-

domicilium habere intelliguntur. Et Imperator Antoninus Silvano. Cum te Biblium origine, incolam autem, apud Berytios esse proponas, merito apud utrasque Civitates muneribus fungi compelleris. Quibus respondetur, quod *Cicero* Municipibus duas patrias esse concedat, & Leges duo Domicilia in diversis civitatibus largiuntur, Id obtinuisse in Municipiis Romanæ ditioni subditis, cum altera Patria, vel Civitas alteram contineat. Vel cum sint ejusdem Principis, ut Biblon, & Beryton fuerunt ejusdem Provinciæ, Phœniciæ scilicet. Et inductum, ut qui in diversis locis facultates haberent, in iisdem ad subeunda munera tenerentur, non ita receptum, cum quis in exteram Civitatem, extero Populo, aut Principi subditam se transferret, aut cum de privilegiis Civilibus ageretur, quam distinctionem comprobat *Baldus Perusinus*, qui ait, Perusinum, id est Perutii natum, qui Senis, aut Florentiæ habitat non deserere Originem, quod in eadem Provincia sint Perusium, Senæ, & Florentia; Cum autem in exteram provinciam quis se transtulerit, deseritur Regio, mutatur Civitas, & alteri Provinciæ, & Civitati persona dicatur.

Vid.

Vid. *Iean Bacquet traict. de Droict. de Aubein chap.* 39, & 41. *in causa inter Cenamium & Longovallium. L. Senatores D. de Senator. Lorg.* 1. *C. de Municipibus. Bald. ad Auth. omnino C. Ne uxor pro marito. Grotium lib.* 2. *cap.* 5. §. 24.

14. *Vtrum qui in regno externo diu moratus est, & familiam contraxit, patriæ in qua natus est, renuntiasse censendus sit?*

IOhanne Cenamio in Gallia defuncto, Johannes Longovallius, jure Isabellæ Dasineræ uxoris cognatæ & Legatoriæ, in testamento defuncti, hæreditatem adiit. Post aliquot annos pro jure Pandolphi Cenamii fratris Johannis contra Longovallium de hæreditate Lis est instituta. Contra jus Pandolphi excepit Longovallius, quod etsi ortus quidem esset Lutetiæ, Venetiis tamen ultra triginta annos moratus, ibi domicilium constituerat, uxorem duxerat, liberos susceperat, & proinde omni jure Subditi, in regno Galliæ exciderat, quia ibi Municipes fiunt, ubi in Civitatem recepti, quod, ut inquit *Tacitus*, Alienigenis per connubia sociatis, regio in quam venerunt, patria est; & Propheta Ezechiel dixerit, Advenæ qui accesserint ad vos, & genuerint filios in medio

medio veſtrûm, erunt vobis ſicut indigenæ. Pro Pandolpho contendebatur, quod etſi diu Venetiis egerit, Originis, atque adeo Naturæ jura retinuerit, quod authore *Cicerone*, Nemo civitatem amittat niſi author ſit. Imo, prout Imperator *Diocletianus*, Nemo ſua quidem voluntate Civitate originis ſe eximere poſſit. Pandolphum Venetiis commorantem, nunquam Civitate donatum fuiſſe, Et Cives fieri non poſſe, niſi in Civitatem allecti ſunt, ut Romæ agentes, niſi jus Romanæ togæ acceperint, De Conſuetudine Galliæ Peregrinum, quantumvis longo tempore, in regno vixerit, juris Civilis regni capacem non eſſe, niſi gratia, & Codicillis Principis indultum fuerit. His reſpondit Longovallius, Authorem aliquem ſibi fieri amittendæ Civitatis, ex ſententia ejuſdem *Ciceronis*, non ſolum eum qui deliquerit, ſed & qui propria civitate rejecta, alteri ſe dicaverit, quod Civis Romanus coram Nerone, ut eſt apud *Tranquillum*, Peregrinitatis arguebatur, quod Civitatem ſua ſponte, & abſque delicto rejeciſſet. Arborem noſtram, quæ in fundo alieno radices egit, mutare dominium, noſtram eſſe deſinere, & alieno ſolo cedere. Quod Romæ neceſſaria fuerit

fuerit togæ impetratio, & in regno Galliæ, Literæ quæ Naturalitatis appellantur, propter locorum præstantiam, vel singularem rationem, introductum, apud alias nationes nominatim allegere, aut Civitatis jura donare, non esse in usu. Hæc & alia argumenta pro se, & adversario à Longovallio Advocato Parisiensi referuntur, Præpositus tamen Parisiensis pro Cenamio sententiam tulit, quam Curia Parlamenti, ad quam Longovallius appellavit, confirmavit. *Bacquettus* specialibus rationibus judices motos tradit, nec eorum sententias in hoc casu, pro jure generali habendas. Fortassis vero id respexerunt, quod quamvis Incolatus, & Domicilium in externo regno, sufficiunt, ad constituendum aliquem subditum Jurisdictioni & præstandis muneribus obnoxium, non tamen sit satis ad constituendum Civem, ut eorum Privilegiorum civilium sit particeps, quæ in regno natis competunt, nisi specialis allectio supervenerit. Quod non solum Romæ, & in Gallia, sed & alibi observatum. Ita *Cicero*, jure nostro Civitatem mutare quispiam potest, modo asciscatur ab ea civitate, cujus esse se Civitatis velit, uti si Gaditani sciverint nominatim, de

de aliquo cive Romano, potestas est ei mutandæ civitatis, & *Plutarchus* refert, Solonem exilio pulsos, & qui sponte Athenas advenissent, Civitati ascripsisse, cujus allectionis instar est, si qui ad Honores admittantur. Quod Romanis quibusdam contigisse testatur *Cicero*, qui inter Areopagitas, certa tribui, certo numero, ignari periculi amittendæ civitatis Romanæ confidebant. Peritior vero *Pomponius Atticus*, qui in ea civitate diu moratus est, ex ea vero ratione honores oblatos suscipere noluit.

Vide *Bacquet. du Droict d'Aubeine, chap. 41. Eguniarium Baronem Comment. post leg. ult. de statu hominum.*

15. *An qui in regno externo natus est, à paterna origine jus subditi consequi debeat?*

MAria Mabilia, Gallis parentibus, in Anglia nata, pro parte bonorum Adenettæ de Valle, aviæ, quæ Parisiis mortua est, Johannem Vilanum filium, & hæredem in jus vocabat. Vilanus excepit, quod nata esset in Anglia regno externo, & proinde cum esset peregrina,

grina, ad ſuccedendum in Gallia, nullum jus haberet. Reſponſum pro Mabilia, etſi in Anglia nata eſſet, ex Gallia tamen, ubi parentes nati, oriundam, & quod etſi non propria Origine, tamen paterna jus ſuccedendi in Gallia ei competeret, præſertim cum in Galliam veniſſet animo manendi, & conſtituendi Domicilium, quod Regiis literis comprobatum erat, Paternam Originem ei ſufficere multis juris Civilis authoritatibus confirmari, ita *Vlpianus*, qui ex duobus Campanis natus eſt, Campanus eſt, & Filius Civitatem, ex qua Pater ejus naturalem originem ducit, non Domicilium ſequitur. Et pro acceſſu in Galliam idem *Vlpianus* apud hoſtes ſuſceptus filius, ſi poſtliminio redierit, filii jura habet. Replicatum ex parte Vilani, Galliam non eſſe ſubjectam Juri Civili Romano, de Conſuetudine, & Lege Peregrinaria, vulgo *d'aubeine*, reſpici ortum, aut nativitatem non gentem, aut genus, unde Liberi nati in Gallia ſuccedant parentibus peregrinis, ibi defunctis, quod non liceret, ſi originis parentum, non liberorum, ratio haberetur. Natos apud Hoſtes poſtliminium habere, quia Parentes capti apud hoſtes nullum jus acquirunt, quod Parentes Mabiliæ in Anglia,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [173] - 143 PUBLIC DOMAIN

glia, ubi per viginti annos morati fuerunt, consequuti sunt. Sententia tam in prima, quam in secunda instantia, pro M. Mabilia lata. Quod parentibus Gallis oriunda, in Galliam animo ibi manendi venerat, authoritate Decisionis *Boërii*, *Burdegalensis*, qua determinatum, quod filius in Hispania conceptus, & natus à patre & matre Gallis, qui in Hispaniam perpetuæ moræ causa migrarant, reversus in Galliam, ad Domicilium paternæ Originis, animo ibi manendi, ad Retractum, id est, ad redimendum possessiones à Patre venditas, secundum Consuetudinem Galliæ admitteretur. Quia Origo paterna juncta cum Domicilio à filio acquisito, potior propria Origine maximè in materia favorabili haberetur.

Vide *Bacquet. tract. d' Aubeine, part. 5. chap. 39. Boërium Decisione 13. Matth. Afflict. Decis. Neapol. 384. Steph. Bertrand. consil. 157. num. 16. vol. 3. Corn. consil. 177. vol. 4.*

16. *Cujus subditus sit qui à suo populo deditus, ab altero receptus non est?*

MAncinus, ob pacem cum Numantinis minus ligitimè factam à Romanis deditus est, Is, cum à Numantinis receptus

receptus non esset, Romam rediit, & Senatum introiit, unde Publ. Rutilius Tribunus plebis eum educi jussit, quod Civem Romanum esse negaret, quem Paterpatratus dedidisset. Aliis visum est Mancinum, cum ab hostibus receptus non sit, Civem mansisse, quod etiam *Ciceroni* probatur, Deditum eum dici non posse, qui acceptus non sit, nam neque donationem, neque deditionem sine acceptione intelligi. Alii secundum Tribunum plebis opinabantur, quod Civis esse desinit, quem Civitas repudiavit, licet ab hostibus non sit acceptus, non secus quam is cui aqua, & igni interdictum est, vel qui in insulam deportatus est. Cui sententiæ *Modestinus* Jureconsultus videtur accedere, qui respondit, Hostibus deditum, & reversum, nisi esset à suis receptus, Civem non esse, quod videtur verius, quia refert *Pomponius*, de Mancino legem latam esse, ut Civis Romanus esset, quæ superflua, si alias civis mansisset.

Vide *Ayalam lib. 1. cap. 15. num. 24. L. 4. D. de Captivis ult. D. de Legationibus.*

17. *Vtrum Profugus qui in alterius Principis obsequium transiit, Patriæ Legibus teneatur?*

IOhannes Storius Anglus profugus, in navem, quæ libros Hæreticos, in Belgium intulisse dicebatur, illectus, in Angliam abductus est, ubi Majestatis postulatus, quod Angliam invadendi rationes monstrasset, Legibus se submittere recusavit, quod Anglia deserta, in obsequium Regis Hispani se tradidisset, verum ex sententia Jurisconsultorum damnatus, & proditorum supplicio affectus est, quandoquidem Nemo patriam in qua natus est, exuere, nec solum natale, aut Principem pro arbitrio ejurare possit, secus fortassis statuendum si Storius ab Anglia in exilium pulsus fuisset, cum exul si alterius potestati se subjiciat, ab eoque acceptus sit, prioris imperio non teneatur.

Vide *Camden. anno* 1571. *Bodin. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 59. *Grotium l.* 2. *c.* 5. *num.* 25.

SECT.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [176] - 146
PUBLIC DOMAIN

SECT. III.

De quæstionibus Dominii inter eos quibuscum Pax est.

Quæstiones de Dominio inter eos, quibuscum Pax est. sunt, veluti de Occupatione, Præscriptione, jure magis probabili, translatione, & Successione.

1. *Vtrum Immissione jaculi rei possessio acquiri possit?*

ANdrii, & Chalcidenses, novarum sedium quærendarum causa, in Thraciam profecti, cum iis renuntiatum esset, Barbaros, Acanthum deseruisse, miserunt speculatores, à quibus fuga & solitudine intellecta, cœpere cursu contendere, uter Populus urbem pro derelicta habitam, prior occupando acquireret. Chalcidensis, cum vinceret pernicitate, Andrius vibravit hastam, quam portæ urbis infixit, Ille exclamavit, se jaculo, Chalcidensis contra, se corpore prævertisse. Hinc itaque orta dissensione, arbitros cepere Parios, Samios, & Erythræos. Dicebant Andrii rei derelictæ possessionem, non necesse esse corpore apprehendere, solis

oculis, affectuque solo posse apprehendi, atque hic amplius telum immissum, itaque juste possedisse, si enim furculo defringendo, jactu lapilli, festucæ traditione possessio acquiratur, cur non hasta projectâ? Chalcidenses contra contenderunt, aliud esse, possessionem ab alio traditam, hoc, aut illo modo nanciscì, aliud rem sine traditione occupare, quamdiu enim ab alio non tenetur, fieri posse occupantis, quemadmodum, si quis feram vulneravit, non prius ejus Dominus habetur quam eam naturaliter ceperit, multa enim accidere possunt, ne capiat, ita attacta porta, potuisse accidere, ne qui jaculâsset, urbe potiretur. Pro Andriis tamen pronuntiatum à majori parte, nam pro iis censuerunt Samii, & Erythræi, pro Chalcidensibus duntaxat Parii, uti refert *Plutarchus*.

Vide *Ærodium rerum judicat. l. 5. tit. 21. c. 1.*

2. *Vtrum Mare occupari possit?*

VLpianus Jureconsultus Mare omnibus patere dicit, & *Celsus*, Maris usum omnibus communem esse. *Paulus*

Paulus tamen affirmat, si maris jus proprium ad aliquem pertineat, ubi possidet is, actionem ei competere. Vt imperium in mari occupetur, jus gentium non obstare in confesso est, inquit *Grotius*, ita *Dion Cassius* dixit, Mare omne quod Romani est imperii, & in induciis annalibus belli Pelopõnesiaci permittitur Megarensibus, navigare mari, quod ad ipsorum, sociorumque terram pertinet, imò plus concedit, ubi idem Princeps regiones utrinque mari adjacentes obtinet, quod contigit in freto Britannico cum Rex Angliæ esset Dux Aquitaniæ, & Dominus complurium locorum juxta mare. *Morisotus* vero affirmat Reges Angliæ etiamsi Gasconiæ, & Aquitaniæ Duces, & Domini erant, eos tamen Regem Galliæ in iis partibus superiorem agnovisse, unde quamvis Maris Aquitanici, & Normanici usus & emolumentum penes eos fuerit, Jurisdictio & principale dominium penes Galliæ Reges mansit. *Iohannes* vero *Tilius*, lib. 2. de rebus Gallicis, ingenue fatetur Galliæ Reges nullum imperium in Mari habuisse, cum regnum partitionibus imminutum, & Reges in ditiones angustiores contracti essent. Eo quod potentes vasalli, feuda summa cum

imperio, si fidem exceperis, obtinebant, Rex enim Angliæ, inquit, tenebat Ducatus Normanniæ, & Aquitaniæ; Britanniæ suus Dux erat, & Flandriæ; Tholosæ, Provinciæ Comites.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 3. §. 13. & plene in annot. ad eund. Morisotum Orbis Marit. l. 1. c. 13. Grotii Mare liberum Guliel. Welwood contra Grotium. Mare clausum Iohannis Seldeni.*

3. *Vtrum ad littus ejecta, Principibus, vel territorii Dominis occupare liceat?*

IMperator *Constantinus Augustus*, ita statuit. Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad Dominos pertineat, Fiscus meus sese non interponat; Quid enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa sectetur compendium? Jure tamen posteriori, vel potius prava Consuetudine, obtinuit, ut qui territoria mari adjacentia possident, bona naufragorum cùm subditorum, tùm exterorum, ad littus appulsa, diripiant. Ita cum Legatus Cæsaris, coram Henrico II. Francorum Rege questus esset, duas naves ad littus ejectas, ab Jordano

dano Vrſino captas eſſe, eaſq; reſtitui poſtularet, Annas Mommorantius Magiſter Equitum, reſpondit, Ea quæ ad littus ejecta fuiſſent, gentium omnium jure ad Principes qui littoribus imperarent, pertinere. *Renatus Choppinus* refert, in Sicilia, littoribus Italicis, & in Anglia naufragiorum compendia, inter regalia numerari. Sed & Britonum Duci idem jus competere. Cum enim Armorici Principes, ſcopuloſo & importuoſo littore, crebra naufragia fieri proſpicerent, edicto ſtatuerunt, ne temere freto ſe committere cuiquam liberum eſſet, unde Brevicula navigaturis (maris & littorum peritis prius conſultis) à Ducibus dabantur, quem Commeatum ſi qui contemnerent, naufragio facto eorum, navium quod ſupererat, & merces publico committebantur. Quod in ſubditorum præjudicium, à Principe, non ſine ratione induci potuit, nec tamen ad exterorum bona jus aliquod tribuere.

Vide *L.* 1. *C. de naufragiis. Bodinum lib.* 1. *cap. ult. num.* 171. *Choppinum de Domanio lib.* 1. *cap. ult. num.* 10.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [181] - 151
PUBLIC DOMAIN

4. *An urbs de novo condita cedat Regioni?*

IVdæi, & Syrii coram Nerone, de urbe Cæsarea contendebant, Dicebant Judæi, conditam esse ab Herode, eóque Herodem Judæos deduxisse, itaque esse Judaicam: Syrii contrà in regione Syria esse conditam, & Herodem magis protulisse, & accrevisse, quam condidisse. Cum enim antea Turris Stratonis appellaretur, & à Syriis incoleretur, Herodem Cæsaream nominasse, mutasse veterem appellationem, non veteres Colonos, nec credibile, quod eo animo ædificarat, ut Judæis ascriberet, quod in Cæsarea templa, & in templis imagines posuisset, quæ apud Judæos non permittuntur. Quibus rationibus commotus Cæsar eam ad Syrios pertinere pronuntiavit.

Vide *Ærodium rerum judicat. l. 5. tit. 21. c. 7.*

5. *An de Dominio & jure, ex conjecturis statuere liceat?*

CVm inter Athenienses & Megarenses de insula Salamine summa esset contentio, Critolaide, Amomphoreto, & Cleo-

Cleomene, Lacedæmoniis ſumptis arbitris, pro Athenienſibus Solone, pro Megarenſibus Herea, cauſam dicentibus, Inſulam Athenienſium eſſe, pronunciatum eſt. Quod qui inſulam habitabant in ſepeliendis mortuis, ritum Athenienſium, non Megarenſium ſequerentur, cum haberent ſepulchra ad Orientem poſita, corpora ad Orientem Solem converſa, inſculptaque familiarum nomina, quorum adhuc moribus utebantur. Non diſſimile fuit de Mona, ſive de Mannia Inſula judicium, de qua, uti tradit *Giraldus Cambrenſis*, cum medio libramine, inter Boreales Hiberniæ, & Britanniæ partes porrecta eſſet, utri terrarum applicari de jure debuerit, ab antiquis non mediocriter ambigebatur: Demum in hunc modum Lis quievit; quippe cum Hibernia venenoſa animalia non ferat, compertum eſt, hanc Inſulam vermes venenoſos, periculi cauſa advectos, admiſiſſe, itaque Britannis applicandam communis cenſura dictitavit.

Vide *Ærodium lib. 2. Decret. tit. 46. c. 3. Camdenum in Britannia, de Inſula Mannia.*

6. *An ex titulo antiquo nova possessio sit decernenda?*

CVm inter Athenienses, & Mitylenæos de Sigæo oppido, quod in Ilienſi agro erat, eſſet contentio, tandem in Periandrum arbitrum convenêre, Mitylenæi antiquum Dominium repetebant, quia conſtabat Athenienſes oppidum Piſiſtrato Duce à Mitylenæis armis eripuiſſe, Athenienſes contra aſſerebant, ſibi & cæteris Græcis qui Duce Agamemnone, Menelao de raptu Helenæ operam navaſſent, non minus quam Mitylenæis in agrum Ilienſem jus competiiſſe. Itaque Periandro placuit, ut uti quiſque quid obtineret, ita poſſideret.

Vide *Ærodium Decretor. lib. tit. 58. cap. 1 Eundem ibid. cap. 2. & 3. Diſſertationem Ducis Nivernenſis ad Regem Galliæ apud Thuanum lib. 59. anno 1574.*

7. *An de Dominio inter alios Arbitri pro ſuo jure pronuntiare poßint?*

ARicini atque Ardeates de agro juris ambigui populum Romanum Judicem

dicem cepêre, Concilio populi à Magiſtratibus dato magna contentione actum eſt, jamque editis teſtibus, cum Tribus vocari, & populum inire ſuffragia oporteret, Publius Scaptius conſurgit, & contra authoritatem Conſulum, Tribunis faventibus, ita fatur, Annum ſe tertium & octogeſimum agere, & in eo agro, de quo agitur, militaſſe, non juvenem, ſed viceſima jam ſtipendia merentem, cum ad Coriolos ſit bellatum, memoriæ ſuæ infixum, agrum de quo ambigitur, Coriolonorum fuiſſe, captiſque Coriolis, jure belli publicum Populi Romani factum, mirari ſe, quonam more, Ardeates, Aricinique, cujus agri jus nunquam uſurpaverint, incolumi re Coriolana eum ſe, à Populo Romano, quem pro Domino Judicem fecerunt, intercepturos ſperent; Conſules cum Scaptiũ non ſilentio modo, ſed cum aſſenſu audiri animadvertiſſent, Deos hominesque teſtantes flagitium ingens fieri, Patres primores accerſunt, cum his Tribunos circumeunt, ne peſſimum facinus, pejori exemplo admittant; Judices in ſuam rem litem vertendo, cum præſertim nequaquam agrum intercipiendo tantum acquiratur, quantum amittatur, alienando injuria ſociorum animos. Nam

famæ, quidem ac fidei, damna majora esse, quam æstimari possint, Hæc & alia Consules vociferantur, sed plus Cupiditas, & author Cupiditatis Scaptius valuit, vocatæ Tribus judicaverunt, Agrum populi Romani esse, nec abnuitur ita fuisse, si ad alios Judices itum foret, Nunc haud sanè, inquit *Livius*, quicquam bona causa elevatur dedecus judicii, idque non Aricinis, atque Ardeatibus, quam Patribus Romanis fœdius, atque acerbius visum. Acerbius & fœdius quod Philippus Rex Macedoniæ egit; qui cum fratres duo Thraciæ Reges de terminis ambigentes disceptationum suarum judicem ipsum elegissent, Philippus ad judicium velut ad bellum inopinantibus fratribus, instructo exercitu venit, & utrumque regno de quo contendebatur, spoliavit, Omnes, inquit *Curtius*, Principes sani docent, Concordiam maximum, ad conservanda imperia, atque principatus stabiliendos, adminiculum esse.

Vide *Livium lib.* 3. *in fine. Dionys. Halicarn. lib.* 11. *Quint. Curtium lib.* 1.

8. *Virum*

8. *Vtrum inter diverſos Principes procedat uſu-capio, vel Præſcriptio?*

CVm Antiochus à Romanis repeteret urbes quas ipſe Pater, avus nunquam uſurpaſſet, objiciebant Romani poſſeſſionem centum annorum, quo ſpatio, tres generationes hominum continentur. *Vaſquius* tamen negat, jus uſucapiendi quod Lege civili introductum eſt, inter diverſos Reges, aut Populos locum habere. Quod ſi admittatur, ſequetur magnum incommodum, ut controverſiæ de Regnis & Regnorum finibus, nullo tempore extinguantur. Itaque Lacones apud *Iſocratem*, tanquam certiſſimum, & apud omnes gentes confeſſum ponunt, Poſſeſſiones publicas, non minus quam privatas, multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant, cum ex longo tempore derelictio præſumatur.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 4. §. 4. &c. Gentilem lib. 1. cap. 22.*

9. *Vtrum*

9. *Vtrum jus in Regna Occidentis, ad Romanum Pontificem, ex Donatione Constantini translatum sit?*

SVnt qui referunt, cum Constantinus Imperator gravi morbo Lepræ laboraret, nec Medicorum opera sanari posset, Sacerdotes Ethnicos suasisse, ut cisternâ calido infantium sanguine impletâ lavaret, in quem finem cum multi adducti essent, & Sacerdotes parati ipsos jugulare, Imperatorem rem nefandam exhorruisse. Eademque nocte, Petrum & Paulum Apostolos, ei comparuisse, & denuntiasse, se à Christo missos ut monerent, à Sylvestro Episcopo Romano Religionem Christianam, & sacrum baptisma susciperet; Quod cum feciſſet ipsum sanatum, & mundatum sensisse, ideóque Sylvestro, ejusque successoribus urbem Romam, Italiam, omniaque in Occidente regna, in perpetuum donasse. Ad cujus relationis fidem confirmandam asseritur, Hujus donationis caput, in prima parte Decretorum insertum, ejusque capitis authoritatem, non solum ab Innocentio & Canonistis, præcipuè à *Cardinale Alexandrino* probatum, sed etiam à Legi-

Legiſtis, *Bartolo, Baldo, Cyno*, & aliis, multis in locis uſurpatam. Totius integrum exemplum à Græco Codice in Bibliotheca Vaticanâ à *Bartholomæo Pierno* Latine editum, & Julio II. Pontifici dicatum extare. Alii qui rem ſolertius indagarunt, obſervant illius temporis ſcriptores Eccleſiaſticos, *Euſebium*, *Hieronymum*, *Baſilium*, & hujus famigerati monumenti nullam mentionem facere. *Platinam*, qui omnia inſtrumenta, ad ſtatum Eccleſiæ in temporalibus pertinentia collegit, nihil hujuſmodi recordari, Conſtantinum Religionem Chriſtianam ante Sylveſtri Pontificatum amplexum fuiſſe, ita *Papa Melchiades* refert, eumque ab Epiſcopo Nicomedienſi in Jordano baptizatum, ut alii perhibent, Ejus filios tam in Occidentali, quam in Orientali imperio ſucceſſiſſe, alioſque Imperatores Romam, Ravennam, aliaſque Italiæ Provincias, ter centum annos, poſt Conſtantinum, (quod etiam ex Pontificum reſcriptis liquet) poſſediſſe, quod caput in Decretis, uti teſtatur Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, in antiquioribus Decretorum Libris repertum non ſit, nec à Gratiano inſertum, ſed ab alio, qui ut multa alia, ita & hoc quaſi incertæ fidei ſub notatione Paleæ

leæ deſignavit. Credibile Canoniſtas, & Legiſtas Italos, ob reverentiam Dignitatis Pontificiæ favorabili errori, aliquid indulſiſſe, Exemplar Græcum *Picernus* in Vaticano nuſquam extare, multis compertum eſſe. Denique Nicolaus de Cuſa Cardinalis, & Pius Pontifex hanc donationem tanquam commentum egregium confutarunt, & Laurentius Valla, Patritius Romanus, & Pontificius, Conſtantinum nec hujuſmodi Donationem feciſſe, nec facere potuiſſe, nec Pontifices Romanos, jus aliquod ex ea percepiſſe, multis argumentis, copioſa, & eleganti Oratione diſſeruit.

Vide *Pro Donatione Cap. Conſtantinum Deſtinet Canoniſtas & Legiſtas apud Cathalanum.*

Barthol. Picernum de Privilegio Conſtantini Contra Vltricum Huttenum, Epiſt. ad Leonem Decium. Hieronymum Cathalanum, Nicolaum de Cuſa, Laurentium Vallam de Donatione Conſtantini.

10. *Vtrum Ius ad Indorum regiones Hiſpa-no ſoli competat?*

CVm *Franciſcus Dracus* anno 1580, Orbe circumnavigato, in Angliam rediiſſet,

rediisset, Bernardinus Mendoza Hispani in Anglia Legatus, In Oceanum Indicum ab Anglis navigari, conquestus est. Responsum tulit à Regina *Elizabetha*, illam non intelligere, cur sui, & Principum aliorum subditi, ab Indiis prohibeantur, quas Hispanici juris esse persuaderi sibi non possit, ex Pontificis Romani Donatione, in quo Prærogativam in hujusmodi causis agnovit nullam, nedum authoritatem, ut obligaret Principes, qui illi Obedientiam nullam debent, ut Hispanum novo illo orbe quasi infeudaret, & possessione investiret, nec alio quopiam jure, quam quod Hispani, hinc illinc appulerint, casulas posuerint, flumen, aut promontorium denominaverint, quæ proprietatem acquirere non possunt, ut hæc rei alienæ donatio, quæ ex jure nihili est, & imaginaria hæc proprietas obstare non debeat, quo minus cæteri Principes, Commercia in illis regionibus exerceant, & colonias ubi Hispani non incolunt, jure Gentium nequaquam violato deducant, cum Præscriptio sine possessione non valeat.

Vide *Camdenum Eliz. Anno* 1581. *Grotium Maris Liberi, cap.* 13. *Nolden. de Nobilitate c.* 2. *num.* 56. *& seq.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [191] - 161
PUBLIC DOMAIN

II. *E Regum filiis, uter in ſucceſſione præferendus ſit, qui ante adeptum regnum, an qui poſtea natus eſt?*

CVm Ottoni I. Imperium delatum eſſet, Henricus ejus Frater, ſuaſu Comitis Palatini, Lotharingiæ Ducis, aliorumque Principum, armis vindicabat; Quod Regnum ſibi in Patris regno nato, potius quam Ottoni ante regnum adeptum nato, deberi videbatur, pro filio poſt regnum adeptum nato, affertur, Quod cum inter Artabazen, & Xerxem filium Darii Hiſtaſpis, de Perſii regni ſucceſſione contenderetur, Demaratus Spartanus, regno ejectus, tunc forte præſens, dixerit, filium poſt adeptum regnum, alteri antegenito præferendum, atque ob hanc cauſam regnum Xerxi adjudicatum fuiſſe. Quod etiam *Guicciardinus* obtinuiſſe ſcribit, in contentione de Ducatu Mediolanenſi, inter Ludovicum, & Galeatium fratres, quorum hic ante adeptum à Patre Ducatum, ille poſt adeptum, natus fuerat. E contra, cum poſt Darii mortem hæc eadem controverſia inter Arſicam Dario privato, & Cyrum eodem Rege jam facto, natum, exorta eſſet,

set, & Prasitadis mater, in Cyri gratiam, veterem illam Xerxis disputationem urgeret, Persæ tamen Arsicæ regnum adjudicarunt, & Herodes Rex Judæorum Alexandro, & Aristobulo ex se post adeptum regnum, Antipatrum ante natum prætulit, pro qua parte etiam in pugna inter Ottonem, & Henricum victoria cessit; Pro qua etiam parte sententiam justiorem concludit *Hotomannus*, cui assentit *Grotius*, quod consentaneum sit cum aliarum omnium hæreditatum, & successionum hoc jus sit, idem quoque in regnorum hæreditatibus observandum esse.

Vid. *Hotoman. quæst. illust. 2. Grotium lib. 2. cap. 7. §. 27. 28.*

12. *An in successione ad Regnum Nepos ex filio priore, secundo filio sit præferendus?*

CVm in Germania contentio esset exorta inter Patruos, & Nepotes, de legitimo hæreditatum jure, Otto Imperator I. ejus disceptandæ causâ, Comitia Germanica indixit, & cum in Comitiis inter Principes & Civium Legatos, conveniri non posset, Duello res commissa est,

est, in quo Pars pro Nepotibus vicit, Exempla vero in utramque partem afferuntur. Pro filiis secundis, quod narrat *Procopius*, Gizerico Vandalorum Rege mortuo, post habito Gundabundo, ex Gensone priore filio Nepote, Honorato secundo filio regnum delatum esse. Et *Aimonius* scribit, quod cum Clotarius Rex Francorum decessisset, Gunetranus secundus filius Childeberto Sigiberti fratris senioris filio prælatus sit; Pro Nepotibus, quod *Plutarchus* scribit, Lycurgum, postquam regnasset circiter octo menses, cum Polydectis senioris fratris vidua filium peperisset, regnum Lacedæmoniorum ei cessisse; & *Pausanias* refert Cleomene mortuo, Senatum Spartanum Areo nepoti contra Cleonymum Patruum regnum adjudicâsse. Videtur, quod regulariter Nepos ex primo genito filio, secundo genito in successione præferendus sit, nisi vigore Legis sufficiendus sit defuncto genere proximus, & natu maximùs, quo in casu, filius secundò genitus, Nepoti ex priore filio natu minori præferendus est.

Vide *Hotoman. quæst. illust 7. Iohannem de Terra rubra. Grotium, lib 2. cap. 7. Sect. 3. Tract. de successione regia.*

13. *Vtrum*

13. *Vtrum Nepotem ex sorore defuncti Patruelis à successione ad regnum excludere debeat?*

PHilippus Pulcher Rex Galliæ, tres habuit filios, Ludovicum, Philippum & Carolum, & filiam Isabellam nuptam Eduardo II. Regi Angliæ, ex qua natus est Eduardus III., Angliæ Rex. Mortuo Philippo Pulchro, successit Ludovicus; Ludovico, Philippus; Philippo, Carolus; post mortem Caroli, Pares sive Proceres Galliæ Philippum Valesium, Caroli defuncti patruelem, (quippe Caroli Valesii, qui frater erat Philippi Pulchri filium) ad successionem in regno admittebant, posthabita Isabella, ejusque filio Eduardo, unde acerbissima bella inter Reges Angliæ & Galliæ sequuta sunt. Pro Philippo Valesio contra Eduardum Regem Angliæ prætendebatur, quod lege Salica, & consuetudine in Gallia antiquitus recepta, Fœminæ à successione in regno Galliæ, arcerentur. Ita scilicet Childerico III., Rege mortuo, duabus filiabus exclusis, regnum Clotario delatum; & Chereberto V. defuncto, tribus filiabus præteritis, Sigi-

Sigibertum fratrem ſucceſſiſſe. Et cum Fœminæ ipſæ capaces non ſint, non poſſe jus ad filios tranſmittere. Secundo, Eduardum Philippo Valeſio, tanquam Regi Galliæ Homagium feciſſe, & ſe Ligium illi futurum, interpoſita fide, pollicitum fuiſſe, unde ipſum Regem agnovit, & juri ſuo, ſi quod habuit, in regno Galliæ renuntiavit. E contra quod Eduardus non ſine cauſa jus ſuum armis proſequutus eſt, aſſertum eſt. Quod cum coram Paribus quæſtio haberetur, ipſius Procuratores admiſſi non ſint, ſed minis coacti ſunt recedere. Quod decantata illa Lex Salica, apud omnes Hiſtoricos, & Jureconſultos, præcipuum pro Valeſio fundamentum (uti agnoſcit *Hotomannus*) commentum fabuloſum & abſurdum fuerit, cum Lex illa quæ præcipit, quod de terra Salica nulla portio hæreditatis in mulierem tranſeat, non ad Francos ſed ad Salios ſpectet, &, ut idem fatetur, tantum abſit, quod ad regias hæreditates pertineat, ut ne quidem ad feudales ſucceſſiones, ſed ad allodia tantum, quæ privati ſunt patrimonii, referri poſſit. Deinde ad conſuetudinem quod ſpectat, non præſumendam juri communi contrariam. Per Hiſpaniam, Luſitaniam, Navarram, Siciliam, Neapolim,

lim, Angliam, Scotiam, à Principatu fœminas non excludi. In aliis ferè omnibus Dignitatibus Galliæ, utpote in Ducatu Normanniæ, Britanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ mulieres succedere. Exemplum Clotarii, & Sigeberti, qui posthabitis filiabus succedebant, non sufficere ad fundandam consuetudinem, iis fortassis temporibus, quibus regnum non tam hæreditarium, quam suffragiis deferendum habebatur. Denique Homagium, ab Eduardo, Valesio præstitum, ei non obfuisse, quod in minori ætate Eduardi factum esset, & metu ne Valesius Ducatum Aquitaniæ invaderet.

Vid. *Frossardum & VValsinghamum Histor. de tempor. Ed. 3. Crassan. in Consuet. Burgundiæ, Dei fides Sect. 5. nu. 38 Hotomannum in Franco-Gallia cap. 10. & de successione in regno Galliæ. cap. 2. Argumenta pro utraque parte in Archivis Bibliothecæ Bodleianæ.*

14. *An Nepos ex sorore, Patrui filio in successione ad regnum sit præferendus?*

MArtinus Rex Aragoniæ, & Siciliæ, filium habuit unicum Martinum, qui obiit ante Patrem, relicto filio Frederico illegitimo, sororem habuit germanam

nam

nam Helionoram, & ex ea Nepotem Ferdinandum Caſtellæ, & conſanguineum Jacobum Vrgellenſem, Johannis ſcilicet Patrui filium. Martino defuncto, de regno contendebant, Fredericus illegitimus, Jacobus Vrgellenſis, & Ferdinandus Caſtellæ. Placuit Arbitrorum judicio rem ſubmittere. Arbitri aſſumpti ſunt, tres ex Aragonia, tres ex Valentia, & tres ex Catalonia. Theologi, Juriſconſulti, aliique omnes ſummæ prudentiæ & probitatis viri. Fredericus ex filio defuncti Nepos illegitimus contendebat, ſe non omnino illegitimum eſſe, qui ex patre cœlibe, & matre innupta natus eſſet, ſe natalibus à Pontifice Romano reſtitutum, præterea meruiſſe, ut ipſius ratio haberetur, quòd nuper ampliſſima victoria regnum Siciliæ Aragoniæ adjecerat, Jacobus Comes Vrgellenſis, ſe maſculum ex maſculo deſcendere, fœminas regni incapaces, non plus juris liberis quam ipſæ habent, transferre poſſe, Ferdinandus Caſtellæ ſe natum ex matre, quæ Martinum Regem defunctum fratrem ex utroque parente habuit, qui cum ſanguine proximus ſit, naturali jure, & legibus ſuccedere debeat, Non cautum eſſe legibus Aragoniæ, ne fœminæ ſucce-

ſuccedant, ſed id receptum, quando Mares cum fœminis ſint eodem gradu conjuncti, & æquè proximi: Arbitri, qui ſacris ritè peractis, Advocatos per triginta dies audierant, in arce concluſi, ut inde abire non liceret, niſi Rege declarato, tandem progreſſi in publicum, cum ſumma totius populi attentione, atque expectatione Ferdinandum Caſtellæ, Aragoniæ Regem pronuntiarunt.

Vid. *Laurentium Vallam lib. 2. Hiſtor. Ferdinandi Regis. Marianum de rebus Hiſpan. lib. 19. & cap. ult. & lib. 20. cap. 2.*

15. *Vtrum ſtirpe recta deficiente, ſtirpis proximæ Princeps, an gradu proximior in regno ſuccedere debeat?*

HEnrico III. Galliæ Rege interfecto, Valeſiæ familiæ propago maſcula defecit, & in confeſſo erat, jus ſucceſſionis in regno, ad ſtirpem Borboniam pertinere, cujus Princeps & caput erat Henricus Navarræ Rex, Regis Antonii defuncti filius, cui Antonio etiam frater ſuperfuit, Carolus Cardinalis Borbonius. Itaque cum Proceres quamplures

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [199] - 169
PUBLIC DOMAIN

Henricum Navarræ Regem pro legitimo Regni ſucceſſore admiſiſſent, Sacræ Ligæ, ſive unionis fœderati, Cardinalem Borbonium tanquam proximiorem, ſub nomine Caroli X. Regem declaraverunt, pro cujus jure, & titulo patronum nacti ſunt *Zampinum* quendam, Qui Cardinalem Borbonium poſt mortem Franciſci Ducis Andegavenſis, qui frater erat Henrici III. Antonio Rege Navarræ præmortuo, in prærogativa primi Principis ſanguinis ſuccedere debere, edito libello aſſeruit. Quod Antonius tempore vitæ Ducis Andegavenſis moriens, prærogativam primi Principis ſanguinis, aſſequutus non ſit, & proinde jus ad ejuſmodi prærogativam ad Henricum filium tranſmittere non potuerit, quod in hæreditaria ſucceſſione, Suorum, Agnatorum, & Cognatorum, etiam in Feudali & Regia, hæres cenſendus ſit gradu proximus perſonæ defunctæ, cui ſuccedendum eſt. Ideoque Cardinalem Duci Andegavenſi, propinquiorem, Henrico defuncto, Regi Navarræ gradu remotiori præferendum eſſe. Pro Henrico Rege Navarræ, *Hotomannus* & alii diſſeruerunt, *Zampinum* Italum, non intellexiſſe differentiam inter Hæredem præſumptum, ſive Apparentem regni, & primum

primum Principem ſanguinis. Hæredem regni apparentem, in eadem ſtirpe cenſeri filium, vel fratrem Regis, qualis fuit Franciſcus Dux Andegavenſis, Primum Principem ſanguinis eſſe, qui in ſtirpe vel linea proxima primus eſt, qualis fuit Antonius Henrici pater, cui ſub eo nomine regni Adminiſtratio, in celeberrimo Ordinum regni conventu commiſſa fuerat. Neque in Hæredis, neque in primi Principis ſanguinis, ſucceſſione, gradum aut ætatem in alia linea, ullam prærogativam tribuere. Neminem dubitare quin in prima ſtirpe, quæ Valeſiorum fuit, hujuſmodi ratio habenda fuerit, ut filius primogeniti patruum excluderet. Quidni idem jus inter agnatos proximæ ſtirpis, quæ ſuccedit loco primæ, obtineret, cum Agnati Regis cauſam, titulum, & jus ſucceſſionis accipiant, non à Rege noviſſimo, ſed à communi gentis authore, & Principe, quem Græci *Genarchum*, Latini *Progenitorem* appellant, idque Lege uti perhibetur, comprobatum, Qua ſancitum eſt, Rege mortuo ad filium ejus primogenitum, vel eo præmortuo ad Nepotem ex eo Regni ſucceſſio perveniat, ſi ſine Liberis deceſſerit; & illius ſtirpis hæres maſculus eſſe deſierit, tum ad proximæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [201] - 171
PUBLIC DOMAIN

regiæ gentis ſtirpem eodem primogenituræ ordine ſervato, regni ſucceſſio transferatur.

Vid. *Thuanum lib. 97. 1589. Camden. Eliz. eodem anno. Zampinum de ſucceſſione Prærogativæ primi Principis Franciæ. Reſponſionem ad Zampinum authore P. E. A. I. Francofurti anno 1589. Hotomannum de jure Succeſſ. Regiæ, Lege quartâ. Choppinum de Dominio lib. 2. cap. 12.*

16. *Vtrum Iohanne VVillielmo Duce Cliviæ, & Iuliaci defuncto, Ducis Saxoniæ, Marchionis Brandeburgenſis, vel Ducis Neoburgenſis jus ſuccedendi potius fuerit?*

IOhanne VVillielmo Duce Cliviæ, & Juliaci ſine liberis defuncto, jus ad ſuccedendum in utroque Ducatu prætendebant Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis, & Dux Neoburgenſis. Dux Saxoniæ, eo quod ante centum annos Matrimonio inter Johannem Cliviæ Ducem, & Mariam filiam unicam Gulielmi Ducis Juliaci celebrato, Ducatus Cliviæ, & Juliaci ab Imperatore, cum conſenſu Ordinum utriuſque Ducatus, uniti ſunt, quodque ex eo matrimonio, VVillielmo Duce Cliviæ, & Sibylla cum aliis filia-

filiabus susceptis, Sibylla Johanni Frederico Duci Saxoniæ nupta est, ea conditione, ut si Johannes & Maria sine liberis masculis morerentur, tota hæreditas ad Sibyllam, & Johannem Fredericum maritum ejus, eorumque hæredes descenderet. Vnde cum Johannes VVillielmus (ad quem à Gulielmo Sibyllæ fratre successio devenerat) sine liberis decessisset, nec pater ejus alios liberos præterquam filias reliquisset, proinde jus succedendi ad se, ex matrimonio Johannis Frederici, & Sibyllæ hæredem oriundum devolutum esse contendebat. Dux Brandeburgensis eo jure nitebatur, quod Gulielmus Dux Cliviæ & Juliaci pater Johannis VVillielmi defuncti, quatuor filias habuit, scilicet Mariam, Annam, Margaretam, & Sibyllam, & cum Ordinibus decrevit, ut si sine liberis masculis decederet, Maria, quam Alberto Brandeburgensi Duci desponsaverat, ejusque hæredes in Ducatibus succederent, ipse vero filiam seniorem, & Mariæ & Alberti, quæ in hoc casu hæres erat manifesta, matrimonio sibi conjunctam habuit. Dux Neoburgensis asserebat, quod Ludovicus pater ejus, Annam secundam filiam Gulielmi Ducis uxorem duxit. Et Carolus V.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [203] - 173
PUBLIC DOMAIN

Imperator privilegium conceſſit, ut ſi Gulielmus, ejuſque hæredes ſine liberis maſculis decederent, Principatus ejus filiabus, iiſque defunctis, earum hæredibus maſculis deveniret, & proinde cum Maria filia prima, ante Johannem Gulielmum Ducem deceſſiſſet, nec hæredem maſculum poſt ſe reliquiſſet, jus ſuccedendi ad Annam matrem ſuam, & ab Anna ad ipſum ejus hæredem maſculum tranſmiſſum eſſe. Princeps Deuxpontii qui Margaretam Gulielmi tertiam, & Marchio Burgraviæ qui Sibyllam quartam filiam uxorem duxerat, his tribus potentioribus pro integra hæreditate contendentibus, donec appareret, quid inter eos decerneretur, ſibi acquieſcendum ſtatuerunt. Imperator Matthias quod Ducatus erant feuda Imperii, Edictum emiſit, quo Competitores quoſcunque ad judicium ſuum vocat. Principes vero Brandeburgenſis, & Neoburgenſis, Imperatoris erga Ducem Saxoniæ propenſionem metuentes, inter ſe conveniunt, ut ab Ordinibus Cliviæ, & Juliaci, Lis inter eos diſcutiatur, & interim regimen, & Procurationem rerum omnium, Ordinibus committunt. Imperator id indignatus, Leopoldum Archiducem Auſtriæ

clam

clam Juliacum mittit, qui urbem ingressus, pro locum tenenti generali Imperatoris se gerit, munitiones in urbe parat, & copias militares aliunde accersit. Princeps Anhaltinus, cum copiis è Gallia, & ab unitis Belgiæ provinciis ad auxilium Principum Brandeburgensis, & Neoburgensis veniens, Leopoldum in Germaniam, se subducere, & Præsidiarios urbe cedere coëgit. Imperatoris & Ducis Saxoniæ partibus favebant Rex Hispaniæ, Archidux Albertus, Principes domus Austriacæ, Prælati Electores & aliqui Principes Reformatæ Religionis in Germania. Causam Brandeburgensis, & Neoburgensis sustinebant, Rex Galliæ, Angliæ, ordines Belgiæ, Princeps Palatinus Rheni, & alii in Germania Principes reformatæ religionis. Cum omnia ad bellum spectarent, Electoribus Imperii aliisque intercedentibus concordatum est, ut Dux Saxoniæ, cum Marchione Brandeburgensi, & Duce Neoburgensi ad jus possessionis in ditionibus controversis admitteretur, quod specie magis quam revera obtinuit. Postea ex occultis æmulationibus, & suspicionibus, inter Brandeburgensem, & Neoburgensem, dissentiones coortæ sunt, & Neoburgensem, ut affinem potentem

aſciſceret, Ducis Bavariæ filiam uxorem duxiſſe & ut Imperatoris, & Pontificiorum Germaniæ Principum gratiam conciliaret, Religionem Romanam amplexum fuiſſe credebatur. Vnde Diſſidiis in bellum erumpentibus Brandeburgenſis ab unitis Ordinibus Belgiæ, & Neoburgenſis ab Alberto Archiduce copias auxiliares petit. Hæc eo tempore contingebant, quo Rex Hiſpaniæ & Albertus inducias duodecim annorum cum Ordinibus pepigerunt, utrinque vero Exercitus retinebantur. Itaque Marchio Spinola cum militibus Regis Hiſpaniæ, ex altera parte, Mauritius Princeps Auriaci cum copiis unitarum provinciarum ex altera, Ducatus invadentes, oppida, & loca præcipua occupant, quibus pro juribus Principum Brandeburgenſis, & Neoburgenſis potiti ſunt, ſuis vero rationibus opportuna nacti haud cito dimiſſuri videbantur, unde Cardinalis Bentivolius cenſuit; Principibus minus potentibus cavendum eſſe, quo conſilio potentiorum auxilia in ditiones ſuas invocent.

Vid. *Hiſtoriam Belgi. Angl. lib. 17. Cardinale Benti voglio Relation del moſſa d'arme par le coſa de Cleves, Iuliers. Diſcurſum ſuper ſucceſſ. Iuliacenſi & Antidiſcurſum per Anonymos, Francof.* 1615.

SECT.

SECT. IV.

De Quæstionibus Debiti inter eos quibuscum Pax est.

Quæstiones de Debito inter eos quibuscum Pax est, sunt veluti de Privilegiis Congressus & Legationis Civilis. Item de Conventione, & Fœdere civili, de fide & juramento quæ iis adhibentur.

1. *Vtrum Principes de loco & præcedentia contendere deceat.*

LActantius nihil fœdius, nihil arrogantius esse ait, & nihil à sapientiæ ratione remotius, quam de Dignitate contendere, & plerique redarguunt, quod in arduarum rerum tractatione, sæpius de sessione acrius, quam de rebus ipsis contenditur. Sed & aliquando ineptum, & vanum apparet, utpote, refert *Warsevicius*, cum duorum Principum Italiæ Legati Pragæ super pontem occurrissent, & neuter alteri locum cederet, ferè toto die constiterunt, & se omnium risui exposuerunt. E contra asseritur Deum esse authorem Ordinis, nec pugnare cum humilitate, gradus seu

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [207] - 177
PUBLIC DOMAIN

ordinis distinctionem tueri, & Juriſconſulti tradunt, quod Ordinis & Seſſionis prærogativam, armata manu defendere liceat. Salutis vero, & utilitatis publicæ ratio præcipuè habenda eſt. Ita cum in prælio contra Perſas, contentio incidiſſet inter Arcades & Athenienſes, utra gens priore loco pugnaret, ad Platæas; laudantur Athenienſes, quod in illo communi periculo patriæ, maluerint cedere, cum dicerent, ubicunque collocati fuerimus, viros fortes nos præſtabimus.

Vid. *Beſoldum de Præcedentia, cap. 3. num. 7. & 8. Nolden. de Nobilitate, cap. 15. numer. 1. & 55.*

2. *Vtrum Locus potior pro numero an pro præſtantiâ dignitatum debeatur?*

DE Seſſionis & Præcedentiæ prærogativa inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges ſæpius concertatum eſt. Anno 1556. Hiſpanus, cum in aula Pontificis obtinere non potuit, apud Maximilianum II., conſanguineum effecit, ut Caroli IX. Legatis, in aula Cæſarea Principis *Loci* prærogativa denegaretur, quod pro tam inſigni injuria habitum eſt, ut Caſparus Coli-

Colipius Admirallus, cauſam ſufficientem eſſe, ad bellum Hiſpano movendum Regi Galliæ obnixè perſuaderet, uti refert *Thuanus.* Pro Hiſpano arguitur, quod illius Imperium, longiùs latiuſque quam omnium reliquorum Principum totius Europæ porrigatur. Pro Gallo quod regnum Galliæ, ejus partibus arctè, & circulariter continuatis, linguaque & moribus unitis, Hiſpano imperio potentiâ nequaquam cedat, Multitudinem titulorum Majeſtatem non augere; unde cum Carolus V. Imperator, Literis ad Franciſcum I. Galliæ Regem miſſis, pro Titulis numeroſam Provinciarum & Dominiorum recitationem adhibuiſſet, Rex Galliæ in reſponſo, reſcripſit, Franciſcus Dei gratia Galliæ Rex, & Dominus Goneſſæ, quæ pagus eſt totius Regni prope minimus, innuens, ſe unicum Regnum Galliæ omnibus Imperii Provinciis æquale æſtimaſſe.

Vid. *Beſold. de Præcedent. cap. 6. num. 6. Bodinum, lib. 1. cap. 9. num. 145. Molinæum de Monarchia Franc. Nolden. de Nobilitate, cap. 9. num. 74. & 179. Vaſquium in præfatione illuſtrium Controverſiarum.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [209] - 179
PUBLIC DOMAIN

3. *An Locus potior ei qui ampliorem, an ei qui antiquiorem dignitatem obtinet, ſit concedendus?*

IN Conventu Bononiæ Anno 1600. inter Legatos Reginæ Angliæ, & Regis Hiſpaniæ oborta eſt quæſtio de potiori loco in ſedendo, & incedendo. Pro Hiſpano prætendebatur, ut ſolet, longè lateque diffuſa amplitudo, cui reſponſum ob pluralitatem dignitatum, aliquem non eſſe præferendum, ſi nulla per ſe ſit ſufficiens ad præcedendum. Caſtellæ regnum, cujus titulum Hiſpanus cæteris anteponit, præ Angliæ regno eſſe nuperum, Comites enim, non Reges habuiſſe ante annum ſalutis 1017. Tertiò, in libro Ceremoniarum Curiæ Romanæ, quæ, ut habent Canones, veluti Domina, Mater, & Magiſtra dat normam aliis, inter Reges primum locum ſtatui Regi Galliæ, ſecundum Regi Angliæ, tertium Regi Caſtellæ. Quartò, in Conciliis Conſtantienſi, Senenſi, Baſilienſi Regem Angliæ ſecundum locum tenuiſſe. Quintò, Julium II. Pontificem Romanum pro Henrico VII. Rege Angliæ, contra Ferdinandum Caſtellæ pronuntiâſſe.

Vide

Vide *Camdenum anno* 1600 *Robert. VVingfield. de Prælatione regni Britan. in Consilio Constant. Pierre. Matthieu, Hist. liv. 7. narrat. 1. §. 12. Mœranum Hist. Belg. lib.* 13.

4. *Virum Legato Principis superioris absentis, Princeps inferior præsens præferendus sit?*

GEneraliter moribus receptum est, ut omnino idem Honor exhibeatur Legatis, qui iis à quibus missi sunt, si præsentes essent, deferretur. Idque constanter affimat *Paschalius*. Quod Legati sunt Principum eorum qui miserunt, alteræ, sive geminæ personæ. Excipit duntaxat Principem, ad quem missa est Legatio, quem in ditione sua eminentiori loco esse æquum est. Refert tamen *Conradus Brunus* in Germania Electores præsentes absentium Legatis præferri, idque se inter Principes animadvertisse testatur, Pro quo facit textus in Aurea bulla tit. 25. Cui etiam congruit quod narrat *Colerus* in Comitiis Norimbergensibus anno 1542. Quod Caroli V. Legati, Ferdinando germano postponebantur: Et *Sleidanus*, quod Dux Clivensis præsens, noluerit Electoris Saxoniæ absentis Legatis

Legatis cedere. Ratio habetur, quod in Principe præsenti est revera Majestas, in Legato tantum Dignitas aliena & ficta. Vel forte mos in Germania ex Constitutione Aureæ bullæ, à moribus aliarum gentium diversus invaluit.

Vide *Paschal. de Legat. cap.* 38. *Brunum de Legat. Besoldum cap.* 5. *num.* 6.

5. *Utrum superiori Electo, nondum confirmato, Rex inferior cedere debeat?*

CVm Caroli V. Regis Romanorum Electi, & Galliæ Regis Legati anno 1521. Caleti convenissent, *Antonius* de *Prato* Jurisconsultus celebris, & Galliæ Cancellarius, Mercurino Caroli V. Cancellario ideo præcedentiæ quæstionem movit, quòd Carolus unctionem à Pontifice nondum accepisset; affirmans igitur eum Gallo, ut Regi uncto, cedere oportere. Contrà asserebatur, Imperatorem ab Electoribus renuntiatum, omnia posse, quæ potest post coronationem Pontificiam, & pro potestate Dignitatem ei deberi.

Vide *Besold. de Præceden. cap.* 2. *num.* 4. *Arumæum de Iure publ. dissert.* 1. *ad finem.*

6. An

6. *An in Colloquiis & literis* Sereniſſimi *titulus iis adhibendus ſit, qui Reges non ſunt?*

CVm in Tractatu Bononiæ, in Mandatis Reginæ Angliæ, Archiduci Alberto *Illuſtriſſimi*, non *Sereniſſimi* titulus deferretur, Legati Regis Hiſpaniæ tractatum pertinaciter averſati ſunt, niſi in Autographo Reginæ, ubicunque Archiducis mentio fieret, *Sereniſſimi* titulus apponeretur. Aſſeritur *Sereniſſimi* titulum Imperatori, & Regibus ſolis, qui Majeſtatem habent, convenire. Quod Duces ſint tantum ſpectabiles, ſaltem Illuſtres. Contrà, Quod Ducibus Majeſtas competat, id eſt ſtatus major, vel major poteſtas; Item quòd in eos crimen Majeſtatis admittatur, quòd multi Duces ſuperiorem non agnoſcant.

Vide *Camden. anno* 1600. *Ludovic. Rudolphinum de Dignitate Ducum Italiæ.*

7. *An qui imperium ſummum non habent, Legatos mittere poſſint?*

ELizabetha Angliæ Regina Chriſtophorum Aſſonvilium, à Duce Albano Le-

no Legatum ad se missum, quòd nullas à Rege Hispaniæ literas attulisset, non admisit; & cum Nobiles Genuenses Stephanum Marium, & Bartholomæum Comellinum ad Philippum Hispaniæ Regem misissent, Talicarnanes contrariæ factionis in republ. Genuensi, intercessit, dicensi Homines privatos Oratores mittere non posse. Constat tamen Appium Claudium Prætorem ad Hieronymum filium Hieronis, Scipionem ad Syphacem, Lucullum ad Tigranem, Cæsarem ad Ariovistum Legatos misisse. *Paschalius* ad magnitudinem Romani imperii refert, quòd qui magnis provinciis præficiebantur, se Regibus æquales ferebant: deinde, quod hujusmodi Legationes, de communibus negotiis, inter provincias conterminas necessariæ, cum aliquando summæ potestatis consulendi non est otium, admittuntur, nec tamen inter justas Legationes censendas putat. Eodem modo Principibus Germaniæ & liberis Civitatibus, de rebus ad ipsos pertinentibus, jus Legatos mittendi asserit.

Vide *Besoldum de Legatis cap. 3. Paschalium cap. 14.*

8. *Utrum*

8. *Vtrum Religiosi & Clerici ad Legationes civiles obeundas sint adhibendi?*

B*Occalinus* in Satyra Parnassea refert Zenonem quendam, Sectæ & gravitatis Stoicæ, Apollinem accessisse, honoris & salutandi causa, priusquam, uti fatus est, in longinquam peregrinationem ad obeundam de magnis rebus Legationem à Gnidi Principe designatus proficisceretur; quod ut Apollo audivit, Gnidi Principem, tunc præsentem reprehendit, quod more quorundam, ut sumptibus parceret, hominem nullius splendoris in Legationem mitteret: Zenonem vero non sine indignatione objurgavit, quòd ipse aliique ejusdem Ordinis, contra professionem qua aulica negotia maxime se aversari videri cupiunt, Legationes ambirent, in quibus ad gratiam Principum multa contra honestatem facere non verebantur, ut *Taciti* censuram meriti juste videantur, qui eam sectam turbidos & negotiorum appetentes facere dixit. Sub Stoicorum nomine Religiosos & clericos intellexisse non dubitatur, cui suffragatur quod tradit *Cominæus*, In Hispania jam olim usitatũ fuisse omnia per Religiosos seu Monachos cum exteris agere,

agere, vel quod optimè ſimulare ſciant, vel ut ſumptuum compendium fiat. Et non ſolùm Canones Eccleſiaſtici, ne Monarchi vel Clerici temporalibus negotiis ſe immiſceant, ſeverè præcipiunt, ſed & *Apoſtolus* monet, ut Nemo Deo militans negotiis ſæcularibus ſe implicet, *Campanella* vero Politicus ingenioſus perſonas Eccleſiaſticas omnibus negotiis adhibendas ſuadet, quod magis prudentes, cautique ſunt, & ob cœlibatum, affectibus privatis minus indulgent. Et *Petrus Matthæus* ſummis laudibus effert Religioſos & Monachos ob officia magnis Principibus animis & armis inter ſe diſſidentibus fælici cum ſucceſſu præſtita, & memorat quod Sanctus Bernardus Moguntiam ivit, ut Lotharium Cæſarem cum Conrado Imperatore conciliaret, & Conradus Sineta Auguſtinianus pacem inter Venetos & Francos tractavit, Pontifex Romanus inter Henricum IV. Galliæ, & Philippum II. Hiſpaniæ Regem, medium ſe interponens, miniſterio Bonaventuræ Calatagirones, Franciſcanorum Generalis, qui ad utrumque Regem ſanctas & ſalutares exhortationes pacis referret, uſus eſt. Sed & Pater Johannes Ney, Belgicas inducias procu-

procuravit, & Hiacynthus Capucinus in maximis orbis Christiani negotiis non ita pridem Legati munus obiit.

Vide *Boecalr. Ragual. centuria* 1. 3. *Conr. Brunum, lib.* 8. *cap.* 3. *Cominæum l.* 8. *c.* 16. *Pierre Matthieu, Histoire de la paix. Berold. cap.* 4. *num.* 4.

9. *An fœminis legationes mandari possint?*

CVm Sabini Romanis, quod virgines quæ ad spectandum ludos Equestres venissent, vi rapuerant, bellum ferociter inferrent, à Senatu decretum ut quotquot è mulieribus Sabinis liberi essent, hæ relictis liberis, ad populares Legatione fungerentur, quam cum suscepissent, Pax est facta, sequutaque res mira, inquit *Florus*, ut relictis sedibus suis in novam urbem Hostes demigrarent, & cum generis suis avitas opes pro dote sociarent. *Kirchnerus* vero negat mulieres Sabinas Legatione functas, quia Leges Romanæ prohibent mulieres officiis virilibus fungi. Et Edictum Prætoris expresse vetat fœminas pro aliis postulare, quod erat contra verecundiam sexui congruentem, cui Edicto causam dedit Caia Afrania, Licinii Buccionis Senatoris Vxor, quæ non quod Advo-

Advocatis destituta erat, sed quod impudentia abundabat, inusitatis foro latratibus, assiduè tribunalia exercebat, adeo ut improbis fœminarum moribus Afraniæ nomen pro crimine objiceretur. Et *Martianus* Jureconsultus tradit eos qui postulandi jus non habent, Legatione fungi non posse. *Paschalius* vero contra *Kirchneri* sententiam acriter contendit, & fœminas honestas causas cum laude egisse ostendit, utpote cum Ordo matronarum gravi tributo à Triumviris esset oneratus, nec quisquam virorum patrocinium iis accommodare auderet, Hortensia L. Hortensii causam fœminarum apud Triumviros & constanter, & fæliciter egit. Repræsentata enim patris facundia impetravit, ut major pars imperatæ pecuniæ iis remitteretur. Sed & quandoq; fœminæ Legationibus obeũdis maximè idoneæ habitæ sunt: Cum Romæ in Senatu deliberatum esset, an Veturia & Volumnia cum aliis matronis ad Coriolanum & Volscos à quibus urbi periculum impendebat, cum Legatione mitterentur, & de ea re usque ad vesperam multa verba facta essent; non dubitabatur, inquit *Dionysius Halicarnassensis*, an hoc officium fœminis conveniret, sed alii verebantur, ne si hostes, neglecto

glecto jure gentium, tot matronas cum liberis retinerent, urbe absque belli periculo potirentur, vicit tamen eorum sententia qua matri & uxori aliisque matronis urbe exire & Legationem obire concessum est; cumque Valeria Veturiæ matri Coriolani ut Legationem susciperet, suaderet; si, inquit, filium in urbem reduxeris, ipsa immortalem gloriam consequêre, ob ereptam tanto periculo patriam, & nobis apud viros major erit honos, bello à nobis summoto, quod ipsi repellere nequiverunt, ac censebimur progenies illarum quæ sub Romulo bellum Sabinum Legatione sua submoverunt, Conciliatisque Ducibus ac populis urbem hanc ex parva magnam fecerunt.

Vide *Erodium tit. de Legationibus, c. 21. Valerium Max. lib. 8. c. 3. Paschalium, cap. 20.*

10. *An Legatio ex causa privata decernenda sit?*

PHrynon Athenienſis cum rediret à certamine Olympico, captus est à quibusdam Philippi Comitibus, & omni pecunia spoliatus, Athenas reversus Athenienses rogat, ut sibi Legationem ad Philip-

Philippum decernant, ea intentione ut ea quæ amiserat, recuperaret, quod populus ipsi concessisse dicitur. Lege duodecim tabularum hujusmodi Legatio prohibita fuit hisce verbis; Rei suæ ergo, nequis Legatus esto, & *Cicero* in tales Legatos acerbè invehitur, asserens, nihil esse turpius quàm quenquam Legari nisi Reipub. causa. Cùm Romæ concessa est, libera dicebatur, quod nullo tempore vel loco circumscripta, nec rationibus reddendis obnoxia esset. Scipioni Nasicæ hujusmodi Legationem decretam *Plutarchus* commemorat, quo tutius honorificentiusque in Asia esset quo proficiscebatur, plebis ob necem Gracchi infensæ furorem, si Romæ substitisset, reformidans. Quinetiam *Cicero* quo magis à curis quibusque vacuus commentationibus operam dare posset, hujusmodi Legationem sive cessationem liberam & otiosam sibi exoptavit: & *Mamutius* docet Senatoribus aliquando necessariò aliquam hujusmodi remissionem impetrandam fuisse, quoniam aliter Roma abesse non concedebatur.

Vide *Gentilem de Legation. lib.* 1. *cap.* 8. *Paschalium, cap.* 13. *Besoldum. de Legat. cap.* 2. *num.* 3.

II. *An*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [220] - 190
PUBLIC DOMAIN

respondit, censent, Multa duritie veterum melius & lætius mutata, pauca fœminarum necessitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent, cætera promiscua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum, & revertentibus post laborem quid honestius quàm uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem, aut avaritiam prolapsas. Quid ipsorum Magistratuum, nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? Non tamen ideo neminem in provinciam mitti, corruptos sæpe pravitatibus uxorum maritos, num ergo omnes cœlibes integros, frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri, nam viri in eo culpam, si fœmina modum excedat. Porro ob unius aut alterius imbecillem animum, malè eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque, simul sexum natura invalidum deseri, & exponi suo luxui, cupidinibus alienis, vix præsenti custodia manere illæsa conjugia, quid fore si per plures annos in modum dissidii obliterentur. Sic obviam irent iis quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent, &c. Et Legatis, ita ut Magistratibus, uxores suo periculo secum ducere prudentes statuunt, de quo *Vlpianus*,

II. *An Legatis permittendum uxores ſecum ducere?*

DEmoſthenes Charmoleus Maſſilienſis, cum Legationes pro patria obiret, Lydimacham uxorem, licèt mala forma fœminam, ſecum circumduxit: & Iſdigunnas ab Choſroë Perſarum Rege ad Juſtinianum Legatus, in eam Legationem & uxorem, & filiam aſſumpſit. Aliis tamen, & incommodum, & periculoſum videtur, Legatis uxorum conſortium: & iiſdem argumentis nituntur, quibus uſus eſt Severus Cincinna cum in Senatu cenſuit, ne quem Magiſtratum, cui provincia obveniſſet, uxor comitaretur. Haud, ſcilicet, fruſtra placitum olim, ne fœminæ in ſocios, aut gentes exteras traherentur, ineſſe mulierum comitatui quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convertant, non imbecillem tantum, & imparem laboribus ſexum, ſed ſi licentia adſit, ſævum, ambitioſum, poteſtatis avidum. His ſtatim adhæreſcere deterrimum quemque Provincialium, ab his negotia ſuſcipi, & tranſigi: Alii vero cum Valerio Meſſalino, qui Cinnæ reſpon-

nus, Proconsulem ait melius esse in Provinciam proficisci sine uxore, sed & cum uxore posse, dummodo sciat Senatum Cotta & Messalla, Consulibus censuisse futurum, ut si quid uxores eorum qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur.

Vide *Tacitum Annalium, lib. 3. Paschalium, cap. 33. Besoldum de Legat. c. 4. num. 11. D. de Officio Proconsulis l.*

12. *An per partem Legatorum Legatio peragi possit?*

SErgius à Justiniano ad Chosroem Legatus, cum Constantianus alter Legatus ægritudine detineretur, in Persiam penetrare noluit; cum vero Callicratem Rhodiorum Legatum, morbus abstulisset, Diæus, alter Legatus Romam perrexit. Et è multis Legatis Indicis ad Augustum, uti refert *Strabo*, tres tantùm Romam pervenerunt, & Legationem peregerunt, cum alios viæ longitudo, & alia incommoda absumpsissent. *Paschalius* tradit luce clarius esse, Legatos non impeditos aliorum vice fungi posse, ita etiam de Legatis Provincialibus in jure

cautum, ut possit quis necessitate cogente, & per alium Legationem mittere. Sic Legati Romani qui ad Jugurtham Adherbalem obsidentem missi erant, simul atque Vticam appulsi essent, nuntium cum literis ad eum mittunt, quibus significant, se ad eum à Senatu missos, & ut quam ocyssimè ad provinciam accedat, jubent.

Vide *Paschalium cap.* 31.

13. *An Legatum aliquando non admittere liceat?*

DEnuntiatum Ætolis à Romanis est habitos eos iri pro hostibus si Legati venirent, & Legatis Persei dictum non venturos tuto, Coriolanus interminatus est pro Exploratoribus se ducturum eos, qui adfuerint. Licitum quidem *Gentilis* affirmat Principi vel populo prohibere, ne Legationes ad se veniant, quia aliter homo alienus in alieno solo, invito Domino sisteretur, videre tamen oportet ut aliqua ex causa fiat hæc prohibitio, *Grotius* ait; Non omnes Legatos admitti præcipit jus gentium, sed vetat sine causa rejici. Et causa non admittendi justa habetur 1. Si Legatus missus sit ab indigno, unde

unde Totilæ ſemper perfidi Legationem rejecit Juſtinianus; & Cynethenſium ut gentis ſceleratæ Legatos undique pulſos narrat *Polybius*. 2. Si indignus ſit qui mittitur, unde Lyſimachus Theodorum qui ἄθεος vocabatur, à Ptolomæo miſſum, audire noluit. 3. Cum mittendi cauſa ſit ſuſpecta unde Romani Perſeo denuntiarunt, ne Romam mitteret, ſed ad Licinium.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 5. Grotium lib. 2. cap. 18. §. 3. Paſchalium cap. 36. & 41. Beſoldum de Legat. cap. 4.*

14. *An Legatus pro utilitate publica præter mandatum aliquid agere poſſit?*

AThenienſes Legatos ſuos miſſos in Arcadiam, quanquam re bene geſta domum reverſos capite puniverunt, eo quod alio quam ipſi mandatũ fuerat, itinere iverant: & cum Attilius Conſul à Senatu miſſus in Græciam ut Athenienſes & Ætolos contra Philippum tueretur, præter quod Senatus mandaverat, Hœſtiæam, & Anticyram expugnavit, & evertit, ea re Romam nuntiata, Senatus cenſuit, ut quamprimum Attilio Flami-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [225] - 195
PUBLIC DOMAIN

nius succeſſor mitteretur. Quandoque tamen expedit Reipubl. Legatum eſſe verſatili ingenio, ad eundem finem modos alios quam præſcripti ſunt, adhibere. Ita cum Civitas Lampſacenorum, ad placandum Alexandrum omnia dira minitantem, Anaximenem, Philippo ipſique probè notum miſiſſet, & Rex cognito cui rei veniſſet, Græcorum Deos teſtes invocâſſet, ſe omnia facturum contraria iis quæ is poſtularet. Anaximenes id compertum habens, cum in Regis conſpectum venit, Per Deos amicitiamque, Rex, inquit, Ego te rogo, ut Conjuges & liberos Lampſacenorum in ſervitutem redigas, urbem exſcindas, & ne templis quidem Deorum immortalium abſtineas: Ejuſque tantùm valuerunt preces, ut Alexander civitati ignoverit. *Valerius Maximus* memorat Legatos qui à Senatu Tarentum, ad res repetendas, miſſi erant, cum injurias ibi perquam graves accepiſſent, unus etiam urinâ reſperſus, eſſet, in theatrum introductos, Legationem verbis quibus acceperant peregiſſe, de iis quæ paſſi erant queſtos non eſſe, ne quid ultra mandatum loquerentur. Carthaginienſis vero Legati circa mandata tanta religio non erat; qui Romæ in Senatu manifeſtum fecit, ſibi poſt-

bi poſtquam eò venerat decies togam furto ſublatam fuiſſe.

Vid. *Paſchalium c.* 56. 57. 58. *Beſold. c.* 7. *num.* 3.

15. *An Princeps ex eo teneatur, quòd Legatus agit præter mandatum arcanum?*

FErdinandus & Iſabella Reges Hiſpaniæ pacem ab Archiduce Auſtriæ eorum genero, qui mandatum ſatis amplum habuit, ratum habere abnuerunt, quòd contra mandata arcana pepigiſſet. Male, inquit *Gentilis*, & contra illa quæ decent Principem, cujus unus calamus, una lingua eſſe debet; Horum autem duo calami; duæ linguæ; & quod intolerabilius, alter calamus, altera lingua hoſti ignota. Quæ ratio ſi recipiatur, nullum certum fœdus iniri poteſt. *Grotius* ita ſtatuit; In generali præpoſitione accidere poteſt ut nos obliget qui præpoſitus, eſt agendo contra voluntatem noſtram ſibi ſoli ſignificatam, quia hic diſtincti ſunt actus volendi, unus quo nos obligamus ratum habituros quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit; ater quo illum nobis obligamus, ut non agat niſi ex præſcripto, ſibi non aliis cognito. Quod notan-

dum, inquit, est ad ea quæ Legati promittunt pro Regibus, ex vi instrumenti Procuratorii excedendo arcana mandata.

Vide *Guicciardinum lib. 6. Gentilem l. 3. c. 14. Grotium lib. 2. cap. 11. §. 12.*

16. *An Legatus admittendus sit ad procurandum causas subditorum Regis sui?*

NAves aliquando onustæ mercibus & bonis quæ fuerunt subditorum Regis Hispaniæ, in portus Angliæ appulerunt; de iis cum nomine subditorum in Curia Admiralitatis lis intentata esset, Legatus Regis pro subditis intervenire voluit. Dubitabatur, an ad agendum admitti deberet, quod huc ad publica Regis negotia transigendum destinatus esset; & quod eum qui pro aliis agit, mandatum eorum habere debeat: quibus responsum est, Res subditorum ad Principem pertinere, cum ejus interest, ne damnis afficiantur, quo locupletiores existant, & onera publica melius sustinere possint; quod absque mandato quilibet possit absentes defendere, & contra spoliatores agere, quodque Hispanorum fuerint causæ spolii.

Vide *Gentilem Advocat. Hispaniæ, lib. 1. c. 18. VVessenbecium in Cod. lib. 3. tit. 16. num. 24.*

17. *An*

17. *An Legato mendaciis uti liceat ?*

HEnricus *Wottonius* pro Jacobo Rege Angliæ ad Venetos Legatus missus, in itinere per Germaniam transiens, rogatus Symbolum in tabulis Viri cujusdam Nobilis inscribere, ita scripsit, Legatus est vir bonus peregrè missus ad mentiendum Reip. causa; quod *Schioppius* in calumniam Regis contorquens, scripsit, se telum in famam & existimationem Regis minimè contemnendum reperisse, quod ejus Orator apud Venetos, se propterea ut Regis causa mentiatur, peregrè missum esse adeo non dissimulet, ut id ultro passim jactitet. Ad hoc opprobrium diluendum *Wottonius* ad Marcum Velserum Augustæ Vindelicorum Duumvirum ita scripsit, Definitionem adeo fortassis Catholicam ut etiam Legatos à *Latere* complecti possit; se vero mirari quod *Schioppius* familiaritatis scrinia referet, & post octennium resuscitet obsoletum salem, & interpretetur non solum tanquam seriò, sed & jactanter scriptum, nec eo contentum, conatum fuisse, intemeratum Optimi Regis nomen per ipsius jocos in invidiam trahere, quasi Domini

ſervorum luſus præſtare tenerentur;& ad quæſtionem ita *Paſchalius*, Volo Legatum niti veritate, certiſſima virtutum; ejuſque fido comite parciloquio. Non ſum tamen ita ruſticè torvus ut officioſum mendacium omnino excludam ex ore Legati. Nempe ſi id agitur, ut errato ignoſcatur, ut ultio remittatur, innocentia ſublevetur, Odio amoto quod eſt in vocabulo, manebit ſola gratia rei. Certe obſeptis aliis juvandi periclitantem itineribus, non habeo ambiguum quin hoc ingrediendum ſit quamvis obliquum. Exiſtimo mendacium, inquit *Diphilus*, pro ſalute dictum nihil parare infortunii. Annibal cum Africa exceſſit & in Corcyram inſulam trajeciſſet, percontantibus, Legatum ſe Tyrium dici juſſit. Hujuſmodi quoque perfugio uſus eſt Xenophanes Princeps ejus Legationis quæ à Philippo mittebatur ad Annibalem : quippe hi Legati petentes Capuam, media in præſidia Romana delati ſunt, deductique ad M. Levinum Prætorem circa Nuceriam caſtra habentem. Ibi intrepidè Xenophanes à Philippo Rege ſe miſſum dixit, ad Senatum Populumque Romanum, ad jungendum amicitiam & ſocietatem cum Populo Romano. Aliquando Legatio, qualis

fuit

fuit Gabaonitarum ad Josuam, non in aliud quàm ad dicendum mendacium, destinatur, cui ignoscitur, si non in eorum perniciem quibus dicitur, sed ad eorum salutem qui dicunt, usurpetur.

Vide *Wottonii ad Velserum Epistol. annexam Opuscul. Hercules tuam fidem. Paschalium cap.* 54. *Besold. de Legat. c.* 4. *num.* 6.

18. *An Legatis securitas debeatur ab aliis quàm ad quos missi sunt?*

PHilippi Macedonum Regis Legatus ad Annibalem cum literis jungendæ societatis gratia missus, comprehensus & ad Senatum Romanum perductus, incolumis dimissus est: sed, uti inquit *Justinus*; Ne dubius adhuc, an dubitatus hostis redderetur. Jus enim gentium de securitate Legatis præstanda non ad eos pertinet per quorum fines sine veniâ ad alios transeunt: Si verò male tractentur, Dignitas ejus à quo missi sunt, aut ejus ad quem eunt, læditur, & Amicitia periclitatur.

Vide *Gentilem lib.* 2. *cap.* 3. *Grotium lib.* 2. *cap.* 18. §. 5. *Ærodium de Legatis cap.* 18. *Besoldum tit.* 5. *num.* 18.

19. *An Exuli ad Principem suum Legato securitas debeatur?*

PErseus Rex Macedoniæ Illyricum exulem, ad Gentium Illyricorum Regem Legatum misit. *Gentilis* certissimum esse ait, si exul ad interdicta loca redierit, plecti posse, nec nomen Legationis ipsi opitulari; si Illyricus nihil mali passus sit, non ad jus, sed ad factum referendum. Et in hoc Legationum argumento remitti aliquid de summo jure solitum, Et si eum Exulem Gentius Legatum excepit, excepto Legationis jure denegare non potuit. Juris tamen patrii consultissimus noster *Eduardus Cocus*, ejus quod cum exteris obtinet, non adeo peritus, tradit, si Exul ad locum à quo ablegatus est, Legatus missus fuerit, nec detineri nec offendi possit: ad idque confirmandum refert, quòd cum Reginaldus Polus Proditionis damnatus, Romæ agens à Papa ad Regem Galliæ Legatus missus esset, & Henricus VIII. Rex Anglię à Rege Gallię postularet, ut in Angliam transmitteretur, non obtinuisse. Polus vero eo tempore non ad Regem Angliæ à quo proscriptus erat, sed ad Regem Galliæ Legatus erat, cui nec subditus,

tus, nec obnoxius aliquo modo fuit. Sed postea cum Philippo & Maria Regibus à Pontifice ad conciliandum regnum Angliæ sanctissima, uti habebatur, Legatione fungeretur, etsi Duo regni Proceres mandato regio ipsum Bruxellas usque conveniissent, regnum tamen ultra Doveriam ingredi non est ausus, priusquam in Comitiis regni lege de ejus proscriptione abrogata, omnibus nobilitatis & patriæ juribus restitutus fuisset.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 10. Cocum de Iurisdictione Curiarum cap. 26. Goodvvinum Annal. anno 1537. & anno 1554.*

20. *An legatus in Loco ubi Legationem obit, actione civili conveniri possit?*

DE omni contractu quem tempore Legationis iniit, *Gentilis*, Legatum judicium subire debere censet, Ne aut Legatis, quod inquit *Iulianus*, potestas detur, res alienas domum auferendi, aut, quæ est *Pauli* ratio, cum iisdem nemo contrahere velit, & quodammodo iis commercio interdicatur. Quæ etsi de Provinciali Legato à Jureconsultis traduntur, explorata tamen ratio facit jus idem etiam ma-

joribus Legatis commune. Idem affirmat *Paschalius*, quod & ipsi de eo damno quod Legationis tempore passi sunt, experiri possunt: *Grotius* contrarium statuit. Nec bona Legati mobilia pignoris causa, aut ad solutionem Debiti capi posse, nec per judiciorum ordinem, nec manu regia. Nam omnis coactio abesse à Legato debet, tam quæ res ei necessarias, quam quæ personam tangit, quo plena ei sit securitas; si quid ergo debiti contraxit, ipse compellandus erit amicè, & si detrectet, is qui misit; ita ut ad postremum usurpentur ea quæ adversus debitores extra territorium positos usurpari solent.

Vid. *Gentilem lib. 2. cap. 16. 17. Paschalium cap. 37. Grotium lib. 2. cap. 18. §. 9. & 10.*

21. *An ex domo Legati, delicti reos, extrahere liceat?*

ABondius quidam, Cavazza, & Valerius Cives Veneti qui in magnum Reipublicæ præjudicium arcana Senatus consilia prodiderant, detecti, in ædes Legati Gallici se receperunt, cumque Officialibus postulantibus nullo modo exhiberentur, navigio cum apparatu bellico

ante

ante ædes collocato, tandem traditi & supremo supplicio affecti sunt. Quod cùm Rex Galliæ resciyit aliquandiu Legatum Venetum in præsentiam admittere renuit, postea in publico accedenti, de facti indignitate expostulans, dixit haud æquo animo laturos Venetos si contra eorum Legati domum officiales sui eadem molirentur. Cui statim Venetus Legatus, respondit, se optare si qui essent contra Regem proditores, ut in ejus hospitio deprehendi possent, eos se statim traditurum, cùm pro certo haberet, si secus faceret, Rempublicam Venetorum nequaquam approbare velle. *Paschalius* qui prolixè de Legatorum Jurisdictione disserit, de hac quæstione ita censet; Si is qui postulatur, læsæ majestatis, aut atrocissimi criminis reus sit, petenti magistratui Legati ædes patere debere; extra talia crimina existimat præcipua quadam prærogativa Legati ædes frui debere. *Grotius* distinguit inter Legati Comites sive familiam, & alios, & statuit si quid Comites gravius deliquerint, postulari poterit à Legato ut eos dedat, vi autem abstrahendi non sunt; quod cum factum esset ab Achæis in Lacedæmonios quosdam, qui cum Legatis Romanis erant, vociferati sunt

sunt Romani jus gentium lædi; si dedere eos nolit Legatus, pœna exigenda est ab eo qui Legatum misit; & si nolit, contra ipsum tanquam fautorem criminis bellum denuntiandum. Quoad alios vero, ait, an Legatus in domo sua jus Asyli habeat, pro quibusvis eo confugientibus, pendere ex concessione ejus apud quem agit? Istud juris gentium non esse.

Vid. *Parutam lib.* 10. *&* 11. *anno* 1541. *Paschal. cap.* 76. *Grotium lib.* 2. *cap.* 18. §. 8.

22. *An Legatus delinquens ad suum Principem remittendus sit?*

LEgati Tarquinii qui seditione in Romæ concitaverant, quanquam digni visi sunt ut hostium loco essent, tamen, inquit *Livius*, jus gentium valuit; scilicet ne occiderentur, Philæas autem Tarentinus cum Romæ Legatione fungeretur, quod ad Obsides Tarentinos aditum sibi invenisset, eosque crebris colloquiis sollicitatos corruptis ædituis, custodia eduxisset, & Comes itineris factus, cum ipsis aufugisset, cum illis retractus, & in Comitia deductus populo probante virgis cæsus & de saxo dejectus est. Cum hoc vero actum

actum ſeverius quod ſubditorum Legatus fuerat. Alias, uti refert *Polybius*, Legato qui Romæ Obſidibus fugiendi cauſam præbuerat, nihil aliud actum quam quod finibus juſſus ſit excedere. Perpenſis de hac re diverſorum ſententiis, *Grotius* videtur ſtatuere, Si tale ſit delictum quod contemni poſſit; diſſimulandum eſſe, ſi crimen ſit atrocius & ad publicum malum ſpectet, remittendum eſſe Legatum ad eum qui miſit, cum poſtulato ut eum puniat, vel dedat. Quomodo Galli poſtulaverunt, ut Fabii ſibi dederentur: ſed ut obviam eatur imminenti periculo, & retineri & interrogari poteſt, quod cum Tarquinii Legatis factum innuit. Quod ſi vim armatam intentet Legatus, occidi poterit, non per modum pœnæ, ſed per modum naturalis defenſionis.

Vid. *Gentilem de Legat. lib. 2. cap. 18. 19. Paſchalium cap. 74. Libellum qui inſcribitur, Quæſtio vetus & nova. Grotium lib. 2. cap. 54. Camdenum anno 1571. de Epiſcopo Roſſenio, anno 1584. de D. Bernard Mendoza.*

23. *Vtrum*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [237] - 207
PUBLIC DOMAIN

23. *Vtrum Princeps per interpositam personam matrimonium validè contrahat ?*

MAximilianus Imperator, cum aliquandiu nuptias cum Anna Britanniæ Duciſſa ambiiſſet, tandem obtinuit, ut virgo in matrimonium conſentiret, & eò uſque proceſſit, ut non ſolum per Procuratorem, Contractus publicè celebraretur, ſed Duciſſa prout nupta, ſolenniter lecto impoſita, Legatus Maximiliani in præſentia quamplurium Nobilium tibiam uſque ad genu nudatam, inter lintea conjugalia imponeret, cujuſmodi ceremonia pro conſummatione matrimonii habebatur. Carolus vero Galliæ Rex, qui non minus Ducatum Britanniæ regno Galliæ, quam Duciſſam ſibi conjunctam cupiit, venali Matronarum, & Conſiliariorum ope adjutus, teneræ virginis animum ad ſe pellexit; & primo Contractum Matrimonii cum Maximiliano invalidum arguit, quod cum Duciſſa in clientela, & tutela eſſet Regis Galliæ, ipſam niſi ejus authoritate, & conſenſu obligare non poſſit. Deinde Theologos invenit, qui fictum matrimonii conſummandi

mandi modum, potius inane commentum aulicum, quam ritum Ecclesiæ approbatum pronuntiarent. Ita ut Duciſſa hujuſmodi rationibus permota, & Regem ætate florentem, ſponſum potius, quam hoſtem habendum ducens, relicto Maximiliano, in nuptias cum Carolo convolavit. Vnde pro joco ferebatur, Maximilianum viduũ, frigiditatis nimiæ conſcium, procum fuiſſe, qui per Procuratorem matrimonium inire ſatis haberet, cum non magno itinere peracto, ipſe extra omnem controverſiam negotium conficere potuiſſet. Alii vero, rei geſtæ æquiores æſtimatores, cenſuerunt injuriam inſignem Maximiliano illatam, quæ ſi vires pares fuiſſent, juſtiſſimam belli & ultionis cauſam præbuiſſet.

Vide *S. Albanum in Hiſtoria Henrici VII.*

24. *An fœdus inire liceat cum iis quæ alieni ſunt à Religione?*

A Propheta reprehenſus eſt Aſa, quod ad ſocietatem Syri ſe contuliſſet; & *Paulus*, Ne jugum ducite cũ alienis à fide. Reprehenſus eſt Aſa, quod Deo diffiſus eſt, & *Paulus* prohibet conjugia cum

cum Idololatris, unde majus imminet periculum, ne veræ Religioni difficultas injiciatur. Sed fœdus non nocendi causa cum alienis à Religione contrahere semper licuit. Fœdera quoque Commerciorum, & similium ad utilitatem communem quin cum prophanis inire liceat, nihil reperitur. Et quod ad societatem bellicam attinet, constat Asmonæos cum Lacedæmoniis, & Romanis pepigisse, approbantibus Sacerdotibus, & Populo. Excipiendum tamen, si ex tali societate prophanæ opes magnum incrementum habituræ sint, multò magis, si contra homines ejusdem Religionis arma inferantur: ita Alexander apud Arrianum dicit, graviter eos peccare, qui Barbaris contra Græcos militant.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 15. §. 8, 9. &c. Gentilem lib. 3. cap 19. Bodinum lib 5. cap. ult. Guil. Guay, Alliances du Roy Treschrestien avec le Turc, justifiées contre les Calomnies des Espagnols.*

25. *An Princeps qui promisit auxilia, cum commodè non possit, præstare teneatur?*

ANno 1585. Inter Elizabetham Reginam Angliæ & Ordines confœderatos

deratos Belgiæ conventum eſt, ut Regina mitteret auxiliares copias, Equitum & Peditum, ſub Gubernatore, & durante bello ſtipendia ſolveret, quæ Ordines, pace reſtituta, rependerent, in cautionem interim urbes quædam & propugnacula in manus Reginæ traderentur. Anno 1595. per Thomam Bodleium Legatum, Regina exponit, Angliam viris militaribus & opibus eſſe exhauſtam ex diuturno bello; Popoſcit igitur, ut expenſarum onere pro copiis militaribus ipſam levarent, & partem aliquam expenſarum rependerent. Ordines partem aliquam pecuniæ repræſentare promittunt, cum illa majorem poſtularet, Illi ex contractu contenderunt, pecuniam non repræſentandam priuſquam bellum finiretur, nec à pacto reſiliendum, ſi Regina honori conſulat. Contrà cenſuit illa, ex Juriſconſultorum, & Politicorum oraculis, Omnem conventionem quamvis juratam intelligi rebus in eodem ſtatu permanentibus. Fortius quem obligari Reipubl. quam propriæ promiſſioni. Principes non teneri ex ſuo contractu, quando contractus cedit in publicum detrimentum. Bodleius eo Ordines perduxit, ut tantæ Principis iracundiam formidantes, promitte-

mitterent, se velle Reginam quamprimum levare omnibus expensis, quas in Anglorum copias auxiliares facit, & vicies mille librarum ad aliquot annos persolvere.

Vide *Camdenum anno 1585. Eundem anno 1595. Cæcilii altercationem cum Gallis apud eundem, anno 1598.*

26. *An Commercii sive Negotiationis privilegia, de quibus cum exteris convenit, revocare liceat?*

HAnseaticæ Civitates apud Imperatorem, & Ordines Imperii anno 1595. conquerebantur, Privilegia, olim ab Angliæ Regibus indulta, antiquata esse. Elizabetha Regina per Christophorum Perkinsum, respondebat, Privilegia illa propter abusum, & causas alias rationabiles, authoritate Parlamentaria, regnante Eduardo VI. uti temporibus minus commoda, refixa esse; concessa scilicet cum res nautica, & mercatoria apud Anglos jaceret, ideoque eorum usum regnante Maria omnino fuisse inhibitum; Reginam primis regni annis alia nonnulla iis aliquandiu, ut temporum rationes tule-

tulerunt, indulsisse, donec ipsi Anglos, ne quidem præmonitos, Hamburgo (nulla amicitiæ ratione habita) nulla ex causa, exturbârunt; postea tamen statuisse, easdem negotiandi rationes, quibus Angli utuntur, concedere, Illos vero omnino recusâsse, nisi meliori jure uterentur: Cum non alicubi sit consuetum, nec ferendum ut Alienigenæ, in earum rerum Commercio, quæ cuique regioni peculiares, indigenis præferantur, quod ex privilegio illi vendicant.

Vide *Camdenum, anno 1597. Eundem de Legatione ad Regem Poloniæ eodem anno.*

27. *Vtrum Fœdus, quo cautum est de Sociis, ad futuros socios sit extendendum?*

POst bellum de Sicilia inter Populum Romanum, & Carthaginenses, ita fœdere cavebatur; utriusque populi Socii, ab utroque populo tuti sunto. Romani post fœdus Saguntinos socios asciverunt, quos Annibal deinde oppugnavit. *Livius*, satis cautum, inquit, erat Saguntinis, Sociis utrinque exceptis. Nam neque dictum erat, iis qui tunc essent; Et cum assumere novos liceret, quis æquum

æquum censeret, receptos in fidem non defendi? Censet tamen *Grotius* futuros socios non comprehendi, quia agitur de fœdere rumpendo, quæ odiosa est materia; & de adimenda libertate Carthaginiensibus, eos, qui ipsis injuriam fecisse crederentur, armis coërcendi, quæ libertas est naturalis, nec temere abdicata censetur.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 16. Gentilem lib. 1. cap. 22.*

28. *Si Socii bellum gerant, utris potius auxilium sit ferendum?*

DEmosthenes censuit, Athenienses, Messeniis sociis, contra Lacedæmonios etiam socios, opem ferre debere, si ab his inceperit injuria; Quod si fœderati committantur inter se invicem, utrinque injustis de causis (quod accidere potest) utraque parte abstinendum est. Quod si contra alios, non fœderatos scil. bellent, justa quisque de causa, si utrique auxilia mitti possunt, utpote in milite, vel pecunia, utrique mittenda sunt. At si ipsius qui promisit, præsentia requiratur, quæ individua est, ratio postulat, ut

ut is præferatur, cum quo fœdus est antiquius.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 15. §. 13. Bodinum lib. 5. cap. ult. Gentilem lib. 3. cap. 16. latè, &c.*

29. *An ex Fœdere teneantur successores?*

FOedere, inter Carolum V. Imperatorem, & Henricum VIII. Regem Angliæ anno 1542. inito, conventum erat, ut si Provinciæ Belgicæ bello infestarentur, Rex Angliæ quinque millia peditum, in quatuor menses suppeditaret. Henrico defuncto, cum Rex Galliæ Luxenburgiam invaderet, Imperator ab Eduardo VI. Angliæ Rege, ex eo fœdere copias auxiliares deposcit, à quibus præstandis, cum Rex ex aliis nonnullis rationibus liber haberetur, satis visum est, quod fœdus cum persona paciscentis extinguatur. Ita Fidenates post mortem Romuli, à fœdere cum eo contracto, se immunes profitebantur: Latini post mortem Tulli, Hetrusci post mortem Prisci, Sabini post mortem Servii, fœderis nexibus se solutos venditabant; & quamvis Pacis, & Amicitiæ Fœdera perpetua haberi possunt, Mutui tamen auxilii conventiones,

tiones, magis temporales existimantur, præcipuè cum quid Reipubl. grave spondetur. *Grotius* vero sic distinguit; Si Principes pro se simpliciter consentiunt, Personale est fœdus, & cum persona paciscentis extinguitur. Quod si Principes pro se & successoribus promittant, diuturnius est; item si adjectum sit, ut sit perpetuum, vel ad tempus definitum, vel in bonum regni, vel si cum populo libero contrahatur.

Vide *Hayvvardum in Histor. Eduardi VI. Grotium lib. 2. cap. 16. §. 16. Gentilem lib. 3. cap. 22. Ayalam lib. 1. cap. 7. num. 10. Bodinum lib. 1. cap. 8. num. 103.*

30. *An Conventiones, & fœdera inter Principes strictam, an ex æquo & bono interpretationem accipiant?*

ALiqui asserunt nullos esse Bonæ fidei contractus qui in jure Civili, ubi contractus bonæ fidei recensentur, non sunt nominati. In jure Civili ubi recensentur ejusmodi contractus, agitur duntaxat de privato jure, non de publico, & quod extra Civitatem extenditur; at *Tullius* ait, Fœciali jure æquitatem esse præscriptam; & *Alciatus* quod in contra-

contractibus Principum, exuberantior fides requiritur; & *Baldus* affirmat, omnia cum Principibus aut cum Procuratoribus Principum gesta, esse bonæ fidei, & respuere scrupulosas interpretationes, & disputationes de Apicibus juris, quibus longe abesse debent, quos oportet solam veritatem, quam jus gentium colit, intueri. Itaq; exprobratum est Carolo V. & Ludovico Galliæ Regi, quod verborum ac pactorum interpretationes afferrent, non Principibus, sed Leguleis dignas.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 13. Eundem lib. 3. cap. 14. Grotium lib. 2. cap. 16. §. 10.*

31. *An Iuramentum dolo elicitum obliget?*

IOsuæ & Principes Israëlitici, Gabaonitis, se è regione longinqua venire fingentibus, juramento se iis parcituros obligârunt; quod etiam, cum scirent se deceptos, observârunt. Ita statuit *Grotius*; Si certum sit, eum qui juravit, aliquod factum supposuisse, quod reverâ ita se non habeat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum, non obligabit juramentum. At si dubiũ sit, an non etiam sine eo, idem juraturus fuisset, standum erit verbis, quia

ſimplicitas quam maximè juramento convenit; Quod de Joſua, & primoribus Iſraëliticis conjicere licet. Lex enim Divina, quæ eos internecioni devovebat, ex Legis alterius comparatione, ita erat intelligenda, ut locum haberet, Niſi ſi qui ſtatim facerent imperata. Quare, cum credibile eſſet, ſi rem ipſam Gabeonitæ indicâſſent, (quod pro metu non fecerunt) eos vitam ſalvam, ſub parendi conditione, impetraturos fuiſſe, valuit Jusjurandum.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 13. §. 4. Gentilem lib. 2. cap. 5. & 3. c. 19.*

32. *An Iuramentum metu extortum obliget?*

LAudat *Cicero* Pomponium Tribunum, qui obſervavit, quod metu coactus juravit; Tantùm, inquit, illis temporibus Jusjurandum valebat. At etſi is qui metum intulit, nullum jus conſequatur, quia cauſam damno dedit, nihilominus qui juravit, obligatur ſtare jurejurando; ſic videmus Hebræos Reges, à Prophetis increpatos, quod fidem juratam Regibus Babyloniis non ſervâſſent.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 13. §. 4.*

SECT.

SECT. V.

De Quæstionibus Delicti inter eos quibuscum Pax est.

Quæstiones de Delicto inter eos quibuscum Pax est, sunt, veluti cum quæritur, Quinam ex Delictis teneantur? Item, an contra Statum, Dominium, vel Debitum, quid admittatur?

1. *Vtrum Injuriæ à Subditis illatæ Principem vel populum afficiant?*

CVm Scyrii, Thessalos qui ad mercaturam venerant, violâssent, mercibus spoliâssent, & in carcerem conjecissent, Thessali elapsi rem ad Amphictionas detulerunt. Iis visum est, ut communem, non ut privatam injuriam vindicandam, quod Scyrii procurare debuerunt, ut Peregrini apud se liberi & securi negotiarentur; Cum vero Rectores Belgiæ, potestatem prædarum in mari ex hoste agendarum, per Codicillos plurimis dedissent, & eorum nonnulli, res Pomeranorum, qui Amici erant, rapuissent, desertaque patria, mari vagarentur, Pomerani, eo nomine, contra Rectores questi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK Signatur: Leibn. Marg. 80, [249] - 219 PUBLIC DOMAIN

sunt. Sed in ea causa *Grotius* consuluit; Eos in nihil amplius teneri, quam ut noxios, si reperiri possent, dederent; præterea, in bona raptorum jus reddi curarent, nam ut sine culpa sua ex ministrorum factis quis teneatur, non esse juris gentium. Itaque Rhodii apud Senatum, à privatorum causa, publicam segregant. Dicentes, Nullam Civitatem esse, quæ non improbos Cives aliquando habeat; Qui vero scit subditos delinquere, & prohibere potest, nec prohibet, tenetur: ita *Agapetus* apud Justinianum; *Par est delinquere, & delinquentes non prohibere.*

Vide *Ærodium Decret. lib. 2. tit. 3. c. 1. Grotium lib. 2. cap. 13. §. 20. Eundem lib. 3. cap. 21. §. 2. Gentilem lib. 1. cap. 21.*

2. *Vtrum Delictum Principi sit imputandum, qui alibi delinquentes recipit?*

QVintus Martius Legatus Romanorum, Perseo Macedonum Regi, pro crimine contra Romanos admisso, objecit, quod interfectores Arterati, omnium Illyricorum fidissimi Romanorum nomini Reguli, recepisset. Cui respondit Perseus, Arterati cædis mihi reddenda

denda est ratio, cum nihil ultra objiciatur, quam interfectores ejus in regno meo exulâsse. Cujus conditionis iniquitatem, non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut quicunque in Italiam, vel Romam se contulerunt, his, facinorum propter quę damnati sunt, authores vos fuisse fateamini. Si hoc, & vos recusabitis, & aliæ omnes gentes, Ego quoque inter cæteros ero. Et herculè, quid attinet cuiquam exilium patere, si nusquam exuli futurus sit locus? Ego tamen istos, ut primum in Macedonia esse, admonitus comperi, requisitos regno abire jussi, & in perpetuum interdixi finibus meis.

Vide *Livium Decad. 5. lib. 2.*

3. *Vtrum Profugum, delicti in patria reum, Princeps territorii in quo repertus est, remittere teneatur?*

CVm quidam Styvvardus Scotus, qui Mariam Scotorum Reginam veneno tollere conatus esset, in Anglia deprehenderetur, Eduardus VI. Rex Angliæ, eum in manus Regis Galliæ tradidit, ut debito supplicio remitteretur. Quod nonnullis displicuit; Quia, etsi ratio

ſuadeat, ut qui in patria deliquit, in patria puniatur, aliter tamen de conſuetudine, quoad remiſſionem, uſurpatum eſt. Itaque cum Eduardus Staffordus, Elizabethæ Reginæ apud Gallum Legatus, à Rege Galliæ peteret, ut Morganus, & alii Angli, in Principem & patriam machinantes, è Gallia ſubmoverentur, reſponſum tulit, ſi quid in Gallia machinarentur, Regem ex jure in illos animadverſurum, ſin in Anglia quid machinati fuerint, Regem non poſſe de iiſdem cognoſcere, & ex jure agere; omnia regna profugis eſſe libera; Regum intereſſe, ut ſui quiſque regni libertates tueatur; imo Elizabetham non ita pridem, Montgomerium, Principem Condæum, & alios è gente Gallica admiſiſſe, & hoc ipſo tempore Segurium Gallia Legatum, novis rebus in Gallum ſtudentem, in Anglia hærere. Et proinde in fœderibus ſæpe cautum eſt, ut ſubditi delinquentes, ſi petantur, remittantur.

Vid. *Hayvvardum in Hiſtoria Eduardi VI. Camden. anno 1584. Tractatum inter Henricum VII. Regem Angliæ, & Philippum Regem Hiſpaniæ de remittendo Comite Suffoltciæ in Hiſtoria Vicecom: S. Albani anno 19. Henrici VII.*

4. *Verum*

4. *Vtrum pro Delicto universitatis teneantur successores.*

ARrianus damnat vindictam Alexandri in Persas, cum pridem interiissent, qui in Græcos peccaverant; & simile est *Curtii* judicium de excidio Branchidarum, per eundem Alexandrum: sed videtur, quod pœna ob delictum universitatis exigi possit, quamdiu durat universitas, quia idem corpus manet, quanquam particulis succedentibus; Contrarium tamen verius, & Ratio est: quia extinctis illis, per quos Meritum ad universitatem deducebatur, ipsum quoque meritum extinguitur, ac proinde etiam pœnæ debitum, quod sine merito non consistit.

Vide *Grotium, lib.* 2. *cap.* 21, *Gentilem, lib.* 1. *cap.* 24.

5. *Vtrum à Principe ulciscendæ sint injuriæ quas cum privatus esset, à subditis sustinuit?*

CVm Henricus, ejus nominis III. Rex Galliæ, è Polonia revertebatur, *Hubertus Languettus*, qui tunc Viennæ agebat,

bat, literis ad Philippum Sydnæum, in Italia peregrinantem, ita scripsit, Videbimus, quid sit facturus hic Rex ubi in Galliam redierit, Nam omnes qui sunt ei familiares, dicunt eum constituisse, benignè ignoscere omnibus, qui aliquid commiserunt, ob quod merito ipsis succensere possit, & complecti omnes benevolentia qui eam exoptabunt. Quod utinam dicat ex animo, & faciat, Nemo enim strepitu abigit aves, quas suis retibus involvere cupit. Vtinam imitaretur exemplum proavi sui, Ludovici XII. cui cum, Carolo VIII. regnante, multi non solum essent adversati, sed etiam in capitis periculum ipsum adduxissent, omnibus tamen bona fide ignovit, ubi ad regnum pervenit, & mirantibus amicis, quod tot acceptas injurias non ulciscereturr, respondit, injurias factas Duci Aurelianensi nihil pertinere ad regem Galliæ. Nec secus Elizabetha, quæ, Maria sorore regnante in custodiam tradita, ab Henrico Beningfeldio Equite durius quam pro Dignitate tractabatur, cum in regnum Angliæ successit, nihil gravius in ipsum statuit, quam quod ejus indignationem deprecanti, dixerit, Domum in pace rediret; se, cum severiore carceris custode opus haberet, ipsum accersurum.

Vide

Vide *Lanquettum Epist. 34. ad Philippum Sydnæum. Camden. in apparat. Elizab. Foxium in Martyrol. de Maria Regina.*

6. *Vtrum contra Amicitiam committat, qui vires auget aut in suo territorio arcem facit?*

ROmani contra Philippum Macedonem, & Lysimachus contra Demetrium, ex hujusmodi causis arma sumpserunt. Et quidam tradunt jure gentium, arma rectè sumi ad minuendam potentiam crescentem, quæ nimium aucta nocere possit: *Grotius* vero ait, ab Æquitatis ratione abhorrere, ut vim pati posse ad vim inferendam jus tribuat, & ideo contrariæ in suo munitiones, & si quæ sunt similia remedia, quærenda, non vim bellicam. Alibi cum amicitia pugnare asserit, Arces in finibus non tuendi, sed nocendi causa extruere; Item insolitam copiarum inscriptionem, si justis satis indiciis appareat, non alium in finem hæc, quam contra eum qui cum pax est, comparari.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 1. §. 17. eund. lib. 3. c. 20. §. 40. Gentilem lib. 1. cap. 14.*

7. *An sit contra Amicitiam subditos alienos recipere?*

SVbditos singulos qui ex altera ditione, in alteram migrare volunt, suscipere, non est contra amicitiam, neque enim naturalis tantum, sed & favorabilis ista libertas est. Oppida autem, aut magnos cœtus, qui Civitatis partem integrantem faciunt, admittere non licet. Sicut aliud est ex flumine haurire, aliud rivum deducere.

Vide *Grotium lib. 3. cap. 2. §. 41.*

8. *An iis quibuscum est Amicitia, transitus sit denegandus?*

AGesilaus ex Asia rediens, cum à Rege Macedonum transitum postulâsset, atque is consultaturum se dixisset. Consulat, inquit, interim nos transibimus, nec quicquam durius eum perpetrâsse constat. Et videtur aliquando, transitum denegari posse, utpote 1. Si cum armatis transitus requiratur; ita Veneti negârunt Maximiliano I. qui cum exercitu petebat ire Romam, ad Imperii coronam acci-

accipiendam; & causabantur Veneti, Rem pacis non egere armatis. 2. Juste negatur transitus, iis qui hostes adducunt; Ita Antonio secum ducenti hostem, Brundusini portas clauserunt; & idem fecerunt Carthaginenses filio Massanissæ. 3. Si non à Principe territorii petatur transitus; ita cum Cymon Lacedæmoniis suppetias laturus, per agrum Corinthium copias traduxerat, reprehensus est à Corinthiis quod non Civitatem compellâsset, At vos, inquit, Cymon, Megarensium fores non pulsâstis, sed fregistis, censentes omnia licere plus valentibus.

Vide *Grotium, lib. 2. cap. 2. §. 13. Gentilem, lib. 1. cap. 19.*

9. *An iis quibuscum est Amicitia, Commercium interdicere liceat?*

NOn videtur Commercium negari, cum modus aliquis Commercii non admittitur, sed cum omnino Commercium prohibetur. Quid enim si negetur importari, quod incolis videtur improbum, vel contra Religionem, vel Disciplinam Religionis. Ita, quæ ad effœminandos animos conducunt, ea mercatores

ad Belgas aliquando non adferebant. 2. Etiam licitum videtur, prohibere aliqua exportari, ut aurum, & argentum, ne Provinciæ exhauriantur; sic Hispanus alicubi Regnorum suorum, sic Anglus facit. 3. In tantum Commercium vetare licet, ne Mercatoribus ad penitiora regni, aditus concedatur: Quod olim Britanni, nunc Sinenses non permittere, dicuntur.

Vide *Gentilem, lib.* 1. *cap.* 19. *Bodinum, lib.* 1. *cap.* 7. *Grotium, lib.* 2. *cap.* 2. §. 11, & 12.

10. *An res alienas aliquando invitis Dominis capere liceat?*

QVi bellum gerit, locum occupare potest in territorio alieno, si certum sit periculum, ne hostis eundem locum invadat, & inde damnum det. Et Græci, qui cum Xenophonte erant, cum navibus omnino opus haberent, cœperunt transeuntes; sed ita, ut merces Dominis intactas conservarent, & nautis etiam alimenta darent, & pretium persolveret: Sed &, An qui rei alienæ usum imperat; ad casus fortuitos teneatur, aliquando quæsitum est. Ita cum navis Anglica ad Hetruscum littus onerata esset, & velificatura

tura in Angliam, jussu Ducis Hetruriæ exonerata, in bellum mittitur, unde revertens in itinere periit. Angli damnum illud ab Hetrusco resarciri petierunt. In casu consimili Navis quam Princeps in usum suum à subditis cœpit, cum casu periisset, Doctores tradunt Principem ad damnum obligari. Quod multo magis obtinere debet, in subditis alienis. Hetruscus vero contendebat, se navem conduxisse, & Conductorem non teneri ad casus fortuitos. Item se pollicitum præstare, quod in actu militari contingeret. Navem autem non illic periisse; Pro Anglis responsum, revera Hetruscum non conduxisse, sed coëgisse pro imperio; & quod ita actum est, magis ad mandatum, quam ad conductionem accedere. Et de jure mandans præstat casus fortuitos mandatario. Nec pactio mercedis locationem facit: cum, ut ait *Tacitus*, Merces ab eo qui jubere potest, vim necessitatis adferat. Deinde quod promissio de præstando casu in actu bellico, non excludat casum verisimilem, maximè in Contractu Bonæ fidei.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 2. num. 10. Gentilem Advocat. Hispan. lib. 2. cap. 26.*

11. *Utrum*

11. *Vtrum Exteris aliquando territorium alienum invadere liceat?*

SI quid intra territorium alterius populi, est deserti, ab Advenis occupari potest: Cum ab aliis occupatum non censetur, quod non excolitur. Ita olim clamabant Ansibarii, Sicut cœlum Diis, ita terras genti mortalium datas, quæque sunt vacua, ea esse publica. Sed & Habitatio his, qui suis sedibus expulsi sunt, non est deneganda, modo imperium quòd constitutum est, subeant, & alia quæ ad vitandas seditiones necessaria sunt, præstent.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 2. Sect. 15, & 17. Gentilem, lib. 2. cap. 17.*

12. *Vtrum Exteris oppressis contra Socios auxilium ferre liceat?*

QVi Civium rationem habendam dicunt, exterorum negant: Hi, inquit *Cicero*, Communionem & Societatem humani generis dirimunt. Et Lazii Persarum Regi dixerunt, non eum propterea justum, quod faceret injustè nihil, nisi & injustè oppressos defenderet; & sic ab eo Exercitus, & auxilia contra Romanos impetrâ-

petrârunt. Videndum tamen, an non hujuſmodi Societati communi, per Societatem ſpecialem derogetur. Itaque cum Samnites, quibuſcum Romani fœdere & amicitiâ conjuncti erant, Campanos à Romanis alienos injuſtis bellis urgerent, & Campani viribus impares, ad Romanorum copias, & Opes confugerent; Conſul, Senatus authoritate, Legatis reſpondit; Auxilio vos, Campani, dignos Senatus cenſeat; ſed ita vobiſcum amicitiam conſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia violetur: Samnites nobiſcum fœdere juncti ſunt; itaque arma, Deos prius quam homines violatura, vobis negamus. Legatos, ſicut fas eſt, precatum ad Socios mittemus, ne qua vobis vis fiat. Accepto reſponſo, Legati Campanorum, quod in mandatis habebant, hæc verba fecerunt: Quandoquidem noſtra tueri non vultis, veſtra certè defendetis; Itaque populum Campanum, Vrbem Capuam, agros, Delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram, Patres conſcripti, Populique Romani ditionem dedimus; tum jam agi fides viſa eſt, deditos non prodi.

Vide *Bodinum lib. 5. cap. ult. Gentilem, lib. 1. cap. 15. Grotium, lib. 2. cap. 25. Sect. 4. &c.*

13. An

13. *An promissa in fœdere aliquando liceat non observare?*

SI pars altera in fœdere fefellerit, potest altera discedere: Quia Capita singula fœderis conditionis vim habent. Ita *Thucydides*; Soluti fœderis culpam sustinent, non qui deserti ad alios se conferunt, sed qui opem quam promiserunt, non præstant. Sed & fœderatum excusabit necessitas, & vis major, ut non fœdifragus judicetur.

Vide *Grotium, lib. 2. cap. 15. Sect. 15. Gentilem, lib. 3. cap. 24. Ayalam, lib. 1. cap. 6. num. 17.*

SECT.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [262] - 232
PUBLIC DOMAIN

SECT. VI.

De Quæstionibus Belli.

Quæstiones de Bello sunt, in quibus quæritur in genere, veluti, An aliquod sit licitum? An utrinque justum esse possit? An moveri possit ab iis qui imperium non habent? An ex causis minus justis?

1. *An Bellum aliquod sit licitum?*

PLutarchus in Stoïcorum contradictionibus, ait, nullum inter homines bellum, non ex vitio nasci: Aliud ex voluptatum cupiditate; aliud ex bonorum, aut imperii nimio studio, conflari. *Livius* tamen, Jure gentium, inquit, comparatum est, ut Arma armis propulsentur; & *Florentinus* Jureconsultus, Jus gentium esse, ait, ut vim atque injuriam propulsemus; cui & *Hermogenianus*, & *Caius* suffragantur.

Vide *Grotium, lib. 1. cap. 2. per totum. Gentilem, lib. 1. cap. 15. Ayalam in Præfatione.*

2. *An*

2. *An Bellum utrinque juſtum eſſe poßit?*

IVſtum, aliquid dicitur, aut reſpectu operis, aut reſpectu operantis; reſpectu Operis, bellum utrinque juſtum eſſe non poteſt. At, ut neuter bellantium injuſte agat, fieri poteſt. Injuſtè enim nemo agit, niſi qui ſcit, ſe injuſtè agere, ſic juſtè, id eſt, bona fide, utrinque litigari poteſt: In bello ſuſcipiendo, ea eſt negotii gravitas, ut probabilibus cauſis non contenta, quam maximè evidentes requirat.

Vide *Grotium, lib. 2. cap. 23. ſect. 13. Gentilem, lib. 1. cap. 6.*

3. *An Bellum moveri poßit ab eo, qui ſupremam poteſtatem non habet?*

ALegatis ſuis accuſatus fuit Cneius Manlius, quod Populi Romani injuſſu, bellum Gallo-Græcis intuliſſet; & Caium Cæſarem, quod eodem modo Germanos proſequutus fuiſſet, Germanis dedendum, Cato cenſuit: Germani vero, inquit *Grotius*, jus non habebant deditionem poſtulandi; ſed Populo Romano eum punire jus erat: prout Carthaginienſis

nienſis Romanis reſpondit; Ego, privato, an publico conſilio Saguntum oppugnatum ſit, non quærendum cenſeo; ſed utrum jure, an injuria? Noſtra enim hæc quæſtio eſt, atque animadverſio, vobiſcum una diſputatio eſt, licueritne per fœdus fieri.

Vide *Grotium, lib. 1. cap. 3. ſect. 5. Gentilem, lib. 1. cap. 3. Ayalam, lib. 1. cap. 2. num. 7.*

4. *An ex cauſa vetuſta bellum movere liceat?*

POlybius, & *Livius* Annibalem reprehendunt, quod moturus in Romanos bellum, cauſam belli non prætenderet, ablatam Sardiniam: ſed alias cauſas Saguntinas, inanes & ratione carentes; Eorum vero judicium, *Gentilis* non probat. Nam etſi, inquit, cauſa fuerit vera quod dedecori fuit Carthaginienſibus, ſibi ablatum mare, & raptas inſulas; at de his tranſactum fuit: & magis probat Annibalis judicium, qui ex recenti cauſa, contra Romanorum Socios bellum movit, quod ſcilicet ejus hoſtibus ſubſidio & perfugio fuiſſent; atque ita ait, Romanos contra Philippum Macedoniæ Regem, cauſam

cauſam belli, non priores injurias ab eo illatas, ſed præſentem ſtatum Græciæ oſtendiſſe (ita *Zonaras*) eam cauſam prætendentes, quod Philippus Græciam invaſiſſet; ſed revera ob priores injurias.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 22.*

5. *Vtrum Elizabetha Regina Angliæ, Belgarum contra Regem Hiſpanum, patrocinium juſtè ſuſceperit?*

ANno Salutis, 1575. Fœderati Belgii Ordines, per Legatos, Elizabethæ Reginæ Angliæ, Hollandiam & Zelandiam, vel poſſidendas, vel protegendas offerunt; uti Principi ex Hollandiæ Principibus prognatæ: Illa re maturè deliberata, reſpondit; Nihil ſibi antiquius eſſe, quam fidem cum honore conjunctam, & Principe dignam tueri; Necdum ſibi conſtare, quomodo ſalvo honore, & Conſcientia integra poſſet provincias illas oblatas, in poſſeſſionem vel protectionem accipere. Cæterum apud Hiſpanum ſedulo acturam, ut Pax fæliciter coaleſceret. Anno deinde, 1585. Eorundem Ordinum Delegati, eandem pluribus obteſtantur, ut confœderatarum Belgii provincia-

vinciarum Dominium, populumque Belgicum indigniſſimè oppreſſum, in protectionem, & clientelam ſuſciperet : Illa primum Dominium, & Protectionem recuſat. Tandem poſtquam illius curæ, & cogitationes in hoc excubâſſent, ipſaque gravem Hiſpanorum in Belgas ſævitiam, & odium in Religionem quam colebat, conſideràſſet; ne Hiſpani potentia plus nimis diffunderetur in regionibus fere contiguis, quæ ſitu ſunt percommodæ ad bellum in Angliam transferendum, ſtatuit Pietatis eſſe, afflictis Belgis ſubvenire; & Prudentiæ, exitioſas hoſtium machinationes prævertendo, populi ſibi commiſſi incolumitati conſulere; unde Belgarum patrocinium palam ſuſcepit. De quo minus erat quod Hiſpanus quereretur, quod anno 1569. Cum Boteleri, Comitis Ormondiæ fratres, cum aliis ſeditionem in Hibernia concitârant; Pontifex Romanus, & Hiſpanus, cum iis, de aſſerenda religione, & deturbanda Elizabetha Hiberniæ regno, fœdus iniiſſent; Et circa idem tempus, cum Norfolcius in Anglia res novas moliretur, Idem, hortatu Pii V., qui zelo Religionem Romanam in Anglia reſtituendi ſimulque Elizabetham è regno ſubmovendi

vendi flagrabat, Chapinum Vitellium, cum armata manu, è Belgio in Angliam ſubmittere deſtinârat; & in eum finem, Rodolphum Florentinum, Pontificis miniſtrum, cum pecunia in Belgium miſerat: quod teſtatur *Hieronymus Catena* in vita Pii V.

Vide *Camdenum anno* 1575. *Eundem, anno* 1585. *Eundem, anno* 1569. *& anno* 1572.

6. *Vtrum ſubditis, contra legitimum regni ſucceſſorem, Religionis cauſa conjurare liceat?*

CVm Henricus III., Rex Galliæ, prolem non haberet, & ſucceſſio in regno, Navarro, & poſt Condæo, Reformatæ religionis propugnatoribus, ex jure deberetur, Pontificii Gallıæ Principes, Pontifice & Hiſpano conſciis, conjurationem occulte inierunt, ſub religionis Catholicæ tuendæ velo, nomine Sacræ Ligæ, ſive Vnionis ad Reformatam Religionem funditùs extirpandum. Qui in hanc nomina dederunt, fidem mutuam jurejurando obſtrinxerunt, ſe neutiquam in Gallia quenquam regnare paſſuros, qui aliam Religionem, quam Catholicam Romanam,

manam, professus fuisset, aut profiteri vellet; neque eum admissuros, qui in alia enutritus, etiamsi eam abjuraret, ne regnum adeptus Religionem avitam labefactaret. Quæ singula ad excludendum Navarrum, & agnatum Condæum spectâsse nemo dubitavit. Conjurationis patroni contendunt jus successionis in regno ratione sanguinis, à legibus humanis pendere, quas populus mutare possit; in successore alias qualitates, præter proximitatem sanguinis spectandas, ne ineptus ad gubernandum, ad regnum promoveatur; Religionem, & cultum Dei, præcipuum cujusque Reipubl. finem esse, & proinde ab omnibus cavendum, ne Principem admittant qui à vera Religione alienus est, & quem cultui divino inimicũ suspicentur. Ex parte adversa asseritur, utcunque in regnis, ubi successores per Electionem sufficiuntur, populi jus sit de idoneis statuere, in regnis quibus hæreditario jure succeditur, jus quod ex sanguine competit, neminiauferendum: Cum Lysander Lacedæmone legem rogaret, ut maximè idoneus, non proximus Herculei sanguinis in regno succederet, uti *Plutarchus* refert, neminem invenit qui ejus sententiæ suffragaretur. Et cum inter Hyrcanum & Aristobulum

ſtobulum fratres de regno Judææ contentio haberetur, Pompeius, cujus arbitrio lis deferebatur, quod *Ioſephus* tradit, Hyrcanum ſeniorem, etſi minus idoneum, Ariſtobulo juniori prætulit. Religionis cauſa nihil injuſtum peragendum. Ambroſius, cum injuriam non ſibi tantum, ſed & Gregi ſuo, & Chriſto, fieri crederet à Valentino, Valentiniani filio, populi ſatis concitati motu, ad reſiſtendum uti noluit.

Vide *Camdenum anno* 1581. *Parſonium ſub nomine Dolemanni de ſucceſſione. Iohann. Hayvvardum contra Dolemannum. Grotium lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. 167.

7. *An repræſaliæ ſint licitæ?*

IMperator Zeno, æquitati naturali contrarium dicit, ut pro alieno debito, alii moleſtentur; & in Novella *Iuſtiniani* prohibentur Pignorationes pro aliis: addita cauſa, Quod rationem non habet, alium eſſe debitorem, alium exigi: Jure tamen gentium introductum apparet, ut pro eo quod præſtare debet Civilis Societas, aut ejus caput, ſive per ſe primo; ſive quod alieno debito jus non reddendo, ſe obſtrin-

ſtrinxerint, obligata ſint bona omnium ſubditorum.

Vide *Grotium lib.* 3. *cap.* 2. §. 1, & 2. *Gentilem lib.* 1. *cap.* 21. *Ayalam lib.* 1. *cap.* 4.

SECT. VII.

De Quæſtionibus Status inter eos quibuſcum Bellum.

Quæſtiones de Statu, inter eos quibuſcum Bellum intercedit, ſunt, cum de Conditione Principis, populi, vel ſubditorum circa bellum dubitatur, utpote an aliqui Hoſtes habendi ſint, An Inimici ab origine, an à Domicilio habendi ſint.

1. *An hoſtes habendi ſint qui contra Naturam delinquunt?*

HErcules, narrante *Diodoro*, veteres Gallos, qui carnes humanas epulabantur, ab eo more abſtinere coëgit, & Alexander Sogdianos, qui in parentes erant impii, domuit: *Vaſquius* vero *Molina*, & alii ad juſtitiam belli requirunt, ut qui ſuſcipit, læſus ſit, aut ut in eum qui

delinquit, imperiū habeat. Sed ſciendum eſt, Reges, non ſolum ob injurias in ſe, aut ſubditos ſuos commiſſas, pœnas poſcendi jus habere, ſed & ob eas, quæ in quibuſvis perſonis jus Naturæ, aut Gentium immaniter violant; cum poteſtas puniendi non ſolummodo ſit effectus juris Civilis, ſed veniat etiam ex jure Naturali. Hujuſmodi vero bella, quæ ad pœnam exigendam ſuſcipiuntur, facile injuſtitiæ argui poſſunt, niſi ſcelera ſint atrociſſima, & manifeſtiſſima.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 20. §. 40. Gentilem lib. 2. cap. 2.*

2. *An Hoſtes habendi ſint qui alieni ſunt à Religione?*

DArius Rex Perſarum Carthaginienſes, qui Deos hominum innocentum ſanguine adorabant, bello proſequutus eſt. Et inter alias cauſas Belli Peloponeſiaci, inter Athenienſes, & Lacedæmonios, una perhibetur, quod in eos quos Deos putabant, irreverentes eſſent. Ad Delicta tamen quæ in Deum committuntur, vindicanda, bellum juſtè ſuſcipi, poſt alios, negat *Covarruvias*. Statuitur vero, eos

eos nomine humanæ Societatis, coërceri posse; 1. Qui Cacodæmonas, aut homines flagitiosos colunt. 2. Qui numen esse, aut ab eo res hominum curari diffitentur. 3. Qui Christianismum profitentes prosequuntur; ita Constantinus Licinio, Imperatores alii Persis bellum intulerunt, quod Christianos pœnis subjicerent. Arma justè non inferri iis, qui Christianam Religionem non amplectuntur, quod Religio Christiana naturalibus argumentis persuaderi non potest, nedum iis qui Christianismum profitentes, de quibusdam, quæ aut extra Legem Christi sunt, aut in Lege sensum ambiguum habere videntur, dubitant, aut errant.

Vide *Grotium lib. 2. cap. 20. §. 44. 45. Gentilem lib. 1. cap. 8, 9, 10.*

3. *An qui ab origine subditus fuit inimici, apud amicos degens amicus censendus sit?*

CIvi Mediolanensi, querenti de injuria à Florentinis illata, Florentiæ jus est denegatum. Quæritur, An Repræsaliis concessis contra Florentinos, ejus bona capere liceat, qui Florentiæ natus, Romæ aliquandiu habitavit? & videtur

quod non: quia Repræſaliæ juſtè concedi non poſſunt, niſi contra eos qui ſunt in culpa, qua abſentes affici non videntur; & quod cum quis participat duas qualitates, utpote ab Origine & à Domicilio, ea quæ prodeſt, magis inſpicienda ſit, maximè contra Repræſalias, quæ licet aliquando permiſſæ, nunquam tamen ſunt favorabiles. Alii tamen ita diſtinguunt. Niſi qui alibi habitat, in Civitate Originis, per ſe, vel ſuos, ſubeat munera.

Vide *Bartolum de Repræſaliis quæſt.* 7.

4. *An qui ab Origine Amici fuit ſubditus, apud Inimicos domicilium habens, inimicorum ſubditus ſit habendus?*

COnſtante inter Anglos & Venetos Amicitiâ, Anglus cui conceſſæ erant Repræſaliæ contra ſubditos Regis Hiſpani, intercipit bona Veneti, qui in Hiſpania commoratus eſt. *Baldus*, per rationes in caſu præcedente memoratas, ait injuſtè capi: *Bartolus* autem, prout in ſuperiori diſtinctione, affirmat alibi natos, cum reliquis ſubditis, Repræſaliis eſſe obnoxios, ſi una cum iis ſubeant munera. Cui aſſentit

tit *Grotius*, qui scribit, quod jure gentium Pignorationi subjaceant omnes subditi injuriam facientis, qui tales sunt ex causa permanente, sive Indigenæ, sive Advenæ; non qui transeundi, aut moræ exiguæ causâ alicubi sunt; Introductæ enim sunt Pignorationes ad exemplum onerum, quæ pro exolvendis debitis publicis indicuntur.

Vide *Bartol. de Repræsal. quæst. 7. Grotium, lib. 3. tit. 2. §. 7. Franciscum Niconitium in Repert. juris Civilis, ad titulum Soluto matrimonio.*

5. *Vtrum ad militiam Hostium proficiscentes, tanquam Hostes tractare liceat?*

CVm Lanuvini ad auxilium Latinis ferendum irent contra Romanos, & quamprimum portis egressi essent, audivissent victos Latinos, statim in urbem redierunt, Audierunt tamen à Prætore suo, pro tantula via magnam mercedem solvendam esse. Et cum *Caius Plinius*, Trajanum Imperatorem consuleret, quid statuendum esset de duobus servis, qui inter Tyrones deprehensi erant, an pœna juris iis infligenda esset (de quo ipse dubitavit) quod nondum in numeros

distributi erant : Respondit Trajanus in eos animadvertendum esse, quod Dies quo probati sunt, veritatem Originis ab iis exegit : Contrarium tamen defendit *Gentilis*, pro quibusdam Anglis, in partes Regis Hispaniæ transeuntibus, ab Hollandis captis ne scilicet interficerentur. Quod pro hostibus habendi non sunt, qui in numeros hostium nondum sunt relati: quod ita de Militibus lex definierat, quod militaturi erant, sub conditione, si Hispanus eos acciperet ; Quod in odiosis cœptum pro completo non habetur. Lanuvinos publico consilio fuisse profectos, atque ita Hostes fuisse quamprimum auxilium publicè decretum fuit : Et Servos de quibus Trajanus, cum probati essent, quasi in numeros relatos, etiamsi juramento nondum astricti fuissent.

Vide *Gentilem Advocat. Hispan. lib. 1. cap. 9. Plinium Epist. lib. 10. Epist. 38, 39.*

6. *Vtrum Exteri, qui cum Subditis contra Principem militant, Rebelles sint habendi ?*

CVm Comes Desmonii & alii in Hibernia rebellionem concitâssent, ad eorum

eorum auxilium Itali & Hiſpani miſſi ſunt; quos cum Greius Prorex aliquamdiu obſediſſet, colloquium petierunt; quod negatum, quia cum Rebellibus ſe conjunxerant, quibuſcum non decuit colloquium admittere: Sunt tamen qui cenſent Neminem rebellem habendum, niſi qui ſubditus fuerit. Alii quoſcunque qui ſe Rebellioni miſcuerint; quemadmodum reos læſæ Majeſtatis, qui Majeſtatem lædenti operam præſtant; Et Piraticæ pravitatis (etiamſi alias reverà hoſtes) qui in navi piratica operam piratis navant.

Vide *Camdenum, anno* 1580. *Gentilem Advocat. Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 10. *Iulium Clarum* 5. *ſentent. Læſæ Majeſt num.* 6, 7.

7. *Vtrum Belgæ Subditi, cum quibus Rex Hiſpaniæ tanquam liberis tractare conſentiit, à Dominio ejus immunitatem conſequuti ſint?*

CVm ex parte Alberti & Iſabellæ Archiducum Auſtriæ, in quos Philippus Rex Hiſpaniæ, omne jus ſuum in Provincias Belgii tranſmiſerat, Fœderatarum provinciarum Ordinibus, de Pace vel Induciis tractatus proponeretur; Or-

dines omnino renuerant, nisi prius liberi, & sui juris agnoscerentur: unde Archiduces profitebantur, cùm suo, tùm Catholici Regis nomine, se paratos cum iis agere, sub ea qualitate, & Provincias fœderatas tanquam liberas agnoscentes, in quas nullum Dominii jus prætendant; idque tractatûs articulo primo, qui etiam ab Hispaniæ Rege probatus fuit, declaratum. Postea cum Ordines provinciarum fœderatarum, non solum propria abdicatione Regis, sed ipsius Regis, & Archiducum agnitione, se liberos esse contenderent; pro Archiducibus & Hispano responsum: Verborum formula non absolutam libertatem Provinciis adseri, sed personis tractantibus certam ad tractandum qualitatem tribui, quam nisi induerent, ne paciscì quidem cum Principibus ulla ratione potuissent: Principes, quantum ad illum tractatum duntaxat, Majestatem exuisse: Verbum *tanquam* plerumque similitudinis, non veritatis esse notam: Nullam juris Regii cessionem, nullam Resignationem, interveniisse; quæ non nisi certis formulis, & solenni juris Ordine, cum etiam de prædiis, aut rebus privatis disponitur, expediri solent: Post admissum tractatum, Ordines de ulteriori

teriori renuntiatione Imperii egisse, & Præsidem Janinum, Galliæ Regis Legatum, monuisse, Principibus fas non esse, in præjudicium Successorum, Res imperii diminuere.

Vide *Baudium & Puteanum de Induciis Belgicis. Patric. Armachanum Martis Gallici lib. 2. cap. 5. Gloss. & D. ad cap. Solitæ v. tanquam de Majorit. & Obedientia.*

SECT. VIII.

De Quæstionibus Dominii inter eos quibuscum bellum est.

Quæstiones Dominii inter eos quibuscum Bellum est, sunt, veluti cum dubitatur, de Acquisitione particulari; ut cum res singulæ capiuntur, ab Hostibus, Piratis, vel aliis: & de Acquisitione universali; cum territoria, vel regna invaduntur, vel subjugantur.

I. *An res ab hostibus captæ, capientium fiant, antequam deductæ sunt intra præsidia?*

CAius Jurisconsultus ait, Quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim

tim fiunt capientium : Placuit vero gentibus, ut rem cepisse is intelligatur, qui ita detinet, ut recuperandi spem probabilem alter amiserit ; ut cum res mobiles intra fines, id est, intra præsidia perductæ fuerint ; cui consequens videtur, ut Naves, vel res aliæ in Mari, captæ tum demum censeantur, cum in navalia, aut portus, aut eum locum, ubi tota classis se tenet, perductæ sunt ; nam tum desperari incipit recuperatio. Sed recentiori jure gentium, inter Europæos, inquit *Grotius*, introductum videtur, ut talia capta censeantur, ubi per horas viginti quatuor, in potestate hostium fuerint : Quod *Petrinus Bellus*, & *Gentilis* minime probant.

Vide *Grotium, lib. 3. cap. 6. §. 2, 3, 4. Petrin. Bellum, part. 3. tit. 1. num. 11. Gentilem Advocat. Hispan. lib. 1. cap. 2.*

2. *An Res ab Hostibus captæ, in amicum territorium delatæ, prioribus Dominis sint restituendæ ?*

NAves Hispanicæ, ab Hollandis captæ in portus Angliæ delatæ sunt, unde Hispani ad tribunal maritimum Angliæ

gliæ provocant & restitutionem navium, & bonorum petunt: Quia jus Postliminii, quo res prioribus Dominis restituuntur, non solum obtinet cum res in suos fines pervenerit, sed ut, *Pomponius* Jureconsultus ait, Si in Civitatem Sociam, Amicamve, aut ad Regem Socium, Amicumve venerit: Quia ibi primum nomine publico tuta esse incipit. Erat autem tunc temporis, Rex Angliæ Amicus Regis Hispaniæ; *Grotius* vero, post *Gammam*, hoc intelligendum esse ait, non de Amicis, aut Sociis simpliciter, quibuscum Pax est; sed de iis, qui in bello easdem partes sequuntur. Apud eos enim qui Amici sunt, sed non earundem partium, bello, inquit, capti statum non mutant, nisi ex speciali pacto. Quomodo in secundo fœdere icto inter Romanos & Carthaginienses, convenerat; ut qui à Carthaginiensibus capti, ex populis amicis Romanorum, in portus Romanis subditos veniissent, in Libertatem vindicari possent, utque Carthaginiensium amicis par jus esset. Contra *Gammam* & *Grotium* contendit *Gentilis*, Postliminium esse apud Amicum, qui non est hostis adversæ partis; quia Lex loquitur non solum de Socio, sed etiam de Amico;

quod ratio Legis facit poſtliminium, ubi quis in tuto eſt. Non obſtare quod cautum eſt fœdere inter Romanos & Carthaginienſes, quia ſæpe in fœderibus ex ſuperabundanti cavetur de iis, quæ etiam de jure alias præſtanda ſunt.

Vide *Grotium*, *lib.* 3. *cap.* 9. §. 2. *Gammam Deciſ. Luſitan.* 384. *Gentil. Advocat. Hiſpan. lib.* 1. *cap.* 1, 2. *Beſoldum de jure territorii*, *cap.* 3. *num.* 4.

3. *An res captæ habendæ ſint, quæ à perſequentibus evadere non potuerunt?*

TRiremes Melitenſes, Piratas quoſdam ſequutæ, ita eos premebant, ut omnino in manus Melitenſium eſſent perventuri, omni ſpe evadendi deſtituti, cum ejecti in inſulam Corſicam à Corſis capiuntur. Vnde quæſitum fuit, an Melitenſibus eſſent reſtituendi: & conſuluit *Cephalus*, tunc rem captam dici, quando aufugere non poteſt quin capiatur, & concluſit, Piratas Melitenſibus reſtituendos, aut teneri Corſos ad damna & intereſſe; quia fuerunt in cauſa, quo minus Melitenſes finem ac præmium laboris conſequerentur. *Alciatus* in feriis ſic cenſet.

set, quæ non possunt evadere: *Ludovicus* vero *Molina* Dominium & possessionem ejus esse ait, qui actualiter capit; cum percussio alterius, non sit satis ad capiendum: Quod si percussio causa fuit ut ab alio caperetur, utique jus esse percutienti, ut pro qualitate datæ causæ, ipse aliquid, in re capta, emolumenti, & juris habeat.

Vide *Cephalum consil.* 36. *Gentilem Advocat. Hispan. lib.* 1. *cap.* 1.

4. *Vtrum eorum bona, quorum oppida, aut agri ab Hostibus occupantur, deprædari liceat?*

BEllo inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum Regem Galliæ, Galli multa oppida ditionis Ducis Sabaudiæ occupaverunt; unde arrepta occasione Cæsariani milites, non minus subditorum Ducis Sabaudiæ bona diripiebant, quam si Regis Galliæ subditi fuissent, quia eorum hostibus favere, & iis auxilium præbere videbantur; *Petrinus* vero *Bellus* id minimè probavit: Quod Pedemontani, quamvis Gallos in eorum agris sustinerent, & iis etiam auxilia

auxilia præberent, id non ultrò, aut animo in Gallos quam in Cæsarianos propensiori, sed vi, & metu eorum quibus resistere nec facile, nec tutum erat, feciſſe præsumendi erant: Vis vero, & metus, à dolo & culpa excusant, & à pœna aut damno immunes reddere debent.

Vide *Petr. Bellum part. 2. tit. 11. num. 5.*

5. *An Amicorum bona in navi hostili capere liceat?*

VUlgo traditur, si navis sit obnoxia, bona etiam obnoxia haberi: *Grotius* vero dicit, Quod dici solet, Hostiles censeri res, in Hostium navibus repertas, non ita accipi oportere quasi certa sit Juris-gentium Lex, sed ut præsumptionem quandam inducat, quæ tamen validis in contrarium probationibus, elidi possit: Atque ita in Hollandia anno 1338. flagranti cum Hanseaticis bello, frequenti Senatu adjudicatum fuisse, & ex judicato in Legem transiisse.

Vide *Grotium lib. 3. cap. 6. sect. 6. Eundem plenius in annotat. ad cap. 1. lib. 3. Consulatum Maris, cap. 237.*

6. *An*

6. *An Amicorum naves, Inimicorum bona deferentes, prædæ cedant?*

CVm Belgiæ mercatores, Regi Hiſpano adhærentes, merces in Hiſpaniam, in Anglorum navibus clandeſtinè tranſmitterent, Zelandiæ Incolæ, qui eos hoſtili odio proſequebantur, indignè ferentes, naves quaſdam Anglorum id factitantes ceperunt, & à Judicibus Admiralitatis pro præda legitima adjudicari obtinuerunt. De quo Angli querentes, Zelandorum naves in portus Angliæ appulſas, detineri procurârunt, & præfectos pro reparatione incarcerari. Principe vero Auriaco Reginam demulcente, concordatum eſt, ut naves & perſonæ captæ utrinque reſtituerentur. Pro ſententia judicum facere videtur. Quod navis in commiſſum incidit, de jure civili, in qua, ſciente Domino, merces illicitæ deferuntur. Et Edictum Gallicum, quo ordinatum eſt, ſi in Socia navi, hoſtium merces inventæ fuerint, etiam Navem legitime acquiri. Æquius tamen eſt, ut Amicorum naves, ablatis tantum mercibus, (niſi prohibitas deferant) dimittantur: & per Conſulatum Maris, quo Mediterranei jus continetur,

tinetur, qui in amicorum navi, hostium bona deprehendit, pro eo itineris quod navis præstitit, naulum solvere tenetur.

Vide *Historiam Belgic. anno 1576. Moriſotum, lib. 2. cap. 10. Gentilem Advocat. Hiſpan. lib. 1. cap. 28. Grotium in Annotat. ad cap. 1. lib. 3.*

7. *An res Amicorum ad hostes transeuntes intercipere liceat?*

PAulus Dzialinus, Sigismundi Poloniæ Regis Legatus, postquam Reginæ Elizabethæ literas tradidisset, more in Anglia insolito, ad inferiorem conclavis partem, vultu ad Reginam obverso, retrocessit: Ibi alta voce, oratione Latina conqueritur, Jure gentium violato, Commercia cum Hispanis à Regina prohibita, quæsitóque inde colore, bona in fiscum esse abrepta: Proinde ablata restitui & liberam jam inde in Hispaniam navigationem permitti postulat: Sin minus, denuntiat, Polonum rationes initurum quibus suis, suorumque subditorum rebus consulat, & eos resipiscere faciat, qui injuriæ authores extiterunt. Regina vero extemplò audaciam hominis his verbis

bis repreſſit : Quam decepta fui ! Legatum expectavi, Heraldum inveni ; Non poſſum ſatis mirari tantam audaciam & temeritatem : Si tale aliquid Rex tuus tibi mandaverit, quod valdè dubito, ideo factum exiſtimo, quod, juvenis cum ſit, neque ordinaria ſanguinis ſucceſſione, ſed Electione ad regnum promotus, rationes hujuſmodi negotiorum non adhuc intelligat, nec ea quæ nobis cum ejus Prædeceſſoribus interceſſerunt. Quod tu jus gentium prætendis, ſcire debes, exorto inter Reges bello, licere uni parti auxilia, vel ſubſidia ad alteram partem miſſa intercipere, & providere, ne damni quicquam inde ſibi accidat. Hoc nos dicimus, Naturæ & gentium juri eſſe conſentaneum ; & non à nobis ſolum, ſed etiam à Poloniæ Sueciæque Regibus factitatum, in bellis quæ cum Muſcovitis geſſerunt. ita Regina. Huc ſpectat quod Demetrius cum Atticam teneret exercitu, Athenis famem facturus, gubernatorem cum nave frumentum inferre parantem cepit ; & Carthaginienſes Romanos, qui hoſtibus commeatum attulerunt, ceperunt ; eoſdem vero repetentibus reddiderunt. Diſtinguendum cenſet *Grotius* de rebus quæ deferuntur, quarum aliæ in

bello

bello nullum usum habent, ut quæ voluptati inserviunt, quod genus querelam non habet; aliæ in bello tantum usum habent, ut arma, quæ qui hostibus subministrant, in hostium partibus habentur; Aliæ sunt quæ in bello, vel extra bellum usum habent, ut pecuniæ, commeatus, naves, quas etiam, si earum subvectio deditionem, quæ expectatur, impedire poterit, intercipere licet.

Vide *Camden. anno* 1597 *Grotium lib.* 3. *cap.* 1. §. 5. *& in annotat. ibid. latè differentem. Gentilem lib.* 1. *cap.* 21. *Eundem Advocat. Hispan. lib.* 1. *cap.* 20.

§. *Vtrum prohibitâ specie, ne ad hostes deferatur, materiam ex quâ conficitur species, intercipere liceat?*

CVm prohibitum est ne arma, aut naves ad hostes deferantur, quæritur, an si quis ferrum, ex quo arma, vel tabulas aut ligna, ex quibus naves construuntur, deferat, an incidant in commissum? Dubitari potest, quia à composito ad materiam non bene arguitur, & Statutum, vel Edictum pœnale non est extendendum. E contra statuitur, quod ubi est eadem ratio prohibitionis materiæ,

viæ, & ſpeciei, idem jus in utraque intelligendum, maxime ad præcavendum fraudem, unde Senatuſconſultum Macedonianum, quod prohibet pecuniam filiofamilias mutuo dari, extenditur ad res alias, ex quibus confici poteſt pecunia, cum contractus fraudem ſapit. Item, cum Prohibitio procedit ſecundùm jus commune, utpote cum jus Civile non ſolum arma, ſed etiam ferrum ad hoſtes deferri prohibeat, & Canones, qui galeas, id eſt triremes ad Saracenos ferri non permittunt, etiam lignamine galearum, id eſt ligna & tabulas ex quibus conficiuntur triremes, ne deferantur, interdicunt.

Vide *L.* 2. *quæ res exportari non debeant*, *Guidon. Deciſ.* 371.

9. *An cum prohibetur quid deferri ad hoſtes, ſi rei prohibitæ acceſſorium deferatur, capere liceat?*

BElLo inter Cæſarem, & Regem Galliæ, Duces convenerunt, ut quædam ultro, citroque tranſmitti poſſent, exceptis armis cujuſque generis. Evenit ut mercator quidam partis Cæſareæ, inter merces conceſſas, centum, aut quinquaginta vaginas,

vaginas, ad recondendos enſes, transferret, quæ à Gallis interceptæ ſunt, quia vaginis etiam, ut enſibus, ad rem bellicam hoſtes inſtruuntur; Durum tamen videbatur quia lanea, & linea, quæ ſunt neceſſaria ad veſtimenta militum, inter merces prohibitas non cenſentur, Et vaginæ non ſunt niſi indumenta Enſium; Mercator tamen, uti refert *Petrinus Bellus*, merces amiſit, per Juſtitiam, inquit, Caſtrorum, quæ ſæpe fit abſque libris, & non raro cum levi conſideratione.

Vide *Petrinum Bellum de re milit. part. 9. numero 26.*

10. *Vtrum Bona prohibita, deprehenſa in via ad locum hoſtilem, prout deſtinata ad Hoſtes, capi poſſint?*

NAvis Genuenſis onuſta mercibus ingentis pretii, in itinere capta fuit, quaſi arma, & res prohibitas ad Turcas deferret, conſuluit Rodericus Suarezius, navem & bona reſtitui debere, quòd res ad hoſtes advectæ non ſunt, & quia manifeſtis indiciis non apparuit, navem ad portum Turcarum deſtinatum. Juriſconſulti dicunt, quod Judex habet arbitrari, quod quis iturus erat ad loca prohibita,

hibita, si repertus fuit in confinibus loci prohibiti, extra viam ad locum, ad quem prætendit iter propositum fuisse. Et quòd in itinere captus, æquè ac si ad locum hostilem perveniisset, pœnæ obnoxius, quia interest ne bona prohibita deferantur. *Nicolaus* etiam *Boërius*, navem cum bonis prohibitis, in itinere captam pro præda legitima adjudicatam fuisse refert; Alii distinguunt, quod aut pœna refertur ad verbum præteriti temporis, ut puta si quis portaverit, & tunc, inquiunt, requiritur actus consummatus, aut ad verbum præsentis temporis, ut puta si quis portet, vel repertus sit portare, & tunc sufficit quod in itinere sit deprehensus.

Vide *Bartol. ad L. Quifiscales, C. de Navicular. Boërium Decis.* 178. *Bald. in* 1. *cum proponas. C. de nautic. fœnore.*

II. *Vtrum iis, quibus concessum est capere transeuntes ad hostes, capere liceat ab hostibus redeuntes?*

COnstitutione Hispanica, si Clerici deprehendantur ferentes arma, possunt per Judices sæculares armis spoliari. At si vero eos gessisse constiterit, ab iis Judicibus securi sunt. Videtur tamen accessio-

acceſſionem, & regreſſum, eodem jure cenſeri. Alii diſtinguunt, ab Intentione, & fine ſtatuentis. Nimirum, ſi conceſſa fuit poteſtas capiendi, ut præmio afficiantur, qui impediunt tranſvectionem bonorum prohibitorum; iis duntaxat prædam deberi, qui capiunt antequam ad hoſtes deferantur; ſi vero, ut alii damno deterreantur, ne tranſvehant, Etiam bona eorum qui detulerunt, redeuntium capi poſſe.

Vide *DD. ad l. ſi fugitivi, C. de ſerv. fugit. Apoſtilla Bartol. ad l. 3. Neratius D. acquir. poſſeß.*

12. *Vtrum Herbam Nicotianam, vulgo* Tobacco, *ad hoſtes transferre liceat?*

TEmpore belli inter Hiſpaniarum Regem, & Ordines confœderatarum provinciarum Belgiæ, quidam mercatores Angli navem onuſtam herba Nicotiana, vulgò *Tobacco*, ad portum Ordinum confœderatarum provinciarum deſtinarunt; Eandem navem cum bonis, ſubditi Regis Hiſpaniarum, quaſi bona ad hoſtes transferri prohibita, deferentem, interceperunt. Angli mercatores in tribunali maritimo Regis Hiſpaniæ reſtitutionem navis, & bonorum petunt,

Ibi

Ibi ſubditi Regis Hiſpaniæ contendunt Herbam Nicotianam inter victualia cenſendam, ſaltem ejus uſu victualium conſumptionem protrahi, & eadem ratione confiſcandam, qua Sal, quo victualia à putredine ſervantur. Pro Anglis proferebantur Medicorum teſtimonia, quibus fumum herbæ Nicotianæ non nutrire confirmabatur, & Juriſconſultorum Opiniones, qui aſſerebant utcunque ſubditorum bona, à paritate rationis in Commiſſum incidant, Exterorum tamen, & Amicorum, niſi verbis expreſſis interdicta ſint, Confiſcationi non eſſe obnoxia. Pro ſubditis Regis Hiſpaniæ, in ipſius tribunali Anmaritimo ſententia lata eſt, de qua Angli ad Regem ſuum conqueruntur, qui habitâ cauſæ examinatione & Conſultis in jure Peritis, Mercatoribus Anglis contra ſubditos Regis Hiſpaniæ, ad recuperandum & reſarciendum damna, quę paſſi ſunt, Literas Repræſaliarum conceſſit.

Vide *Commiſſ. & Proceſſ. in Curia Admiral. Angliæ.*

13. *Vtrum*

13. *Vtrum licitum propter illicitum incidat in commissum?*

REfert *Petrinus Bellus* Mercatorem, qui cum aliis mercibus vaginas ensium deferebat, non solum ensium vaginis, sed aliis etiam mercibus quas sexcentis scutis redemit, mulctatum fuisse, eo prætextu, quod licitum propter illicitum incidat in commissum. *Paulus* Jureconsultus ait, Si quid illicitè navi, præsente Domino, imponatur, non solum merces, sed etiam navem fisco vindicandam. Alii distinguunt, an res licitæ & illicitæ quæ una vehuntur, sint ejusdem Domini, an diversorum; & aiunt priore casu omnes confiscari, posteriore res duntaxat eorum qui rerum illicitarum Domini fuerant.

Vide *L. Cotem D. de publican. & ibi DD. Cynum in l. cum proponas, C. de nautic. fœnore.*

14. *Vtrum quòd Nautæ, Principis alterius navi bellicæ vela non submittant, Navis pro præda capi possit?*

GAllus Præfectus navis bellicæ, navi Hamburgensi ex Hispania redeunti occur-

occurrens, nautis vela ſubmittere imperavit, quod cum ipſi facere detrectarent, vi aggreſſus ſubegit, & navem in Galliam deducens, prædam legitimè captam, ſibi & Sociis adjudicandam contendit: Quòd ad Principis dignitatem ſpectat, aliarum gentium naves, navibus ipſius inſignia geſtantibus, debitam reverentiam exhibere. Quòd Edictis Regiis ſancitum ſit, quod ſub capturæ periculo, aliæ naves regiis navibus ſubmittant vela. Pro Hamburgenſibus reſponſum; In partibus Hiſpaniæ, ubi nullum jus Imperii Gallus vindicat, reverentiam ejus navibus non deberi. Edicta Gallica extraneos non aſtringere, præcipuè ignorantes. Hamburgenſes, prout Gallo, ita Hiſpano fœderatos, & in Hiſpania, iis licere commercium liberè exercere. *Ludovicus Servinus*, Advocatus regius refert à Judice inferioris tribunalis, navem legitimè captam, à Judicibus vero tribunalis ſuperioris, qui cum exteris & amicis, non ex rigore, agendum cenſuerunt, navem reſtituendam pronuntiatum eſſe.

Vide *Servinum*, *tom.* 2. *tit.* 11. *Io. Seldenum Maris clauſi*, *lib.* 2. *cap.* 26.

15. *Vtrum Res à Piratis recuperatæ, prioribus Dominis sint restituendæ?*

CONstat capta à Latronibus, & Piratis nunquam in eorum Dominium transire; Expresè *Iavolenus*, servum ait surreptum à Latronibus, quamvis postea in manus hostiũ venerit & iis bello victis, à victoribus venditus fuerit, ab emptore usucapi non posse. *Ayala* tamen in eam opinionem inclinat: Quòd res, quæ per illegitimos hostes erepta, postea in potestatem eorum, qui justi hostes sunt, pervenerit; deinde à Civibus virtute bellica recuperata, vel commercio redempta est, priori Domino, non sit restituenda. Resp. *Iavoleni* in servo admittit, propter jus postliminii, non in rebus aliis, quæ postliminio carent. *Gentilis* contrarium defendit, nec distinctionem inter servos, & res alias probat, cum ratio Legis in omnibus concludat, quæ surreptæ sunt; & res aliæ (quibusdam exceptis, quæ non sine flagitio amittuntur) æquè ac servi postliminium habeant: cum *Gentili* consentit *Grotius*, qui affirmat, jus gentium non concedere, ut Latrones vel Piratæ dominium mutent: Vnde Athenienses Haloneſam, quam

quam ipsis Prædones, Prædonibus Philippus eripuerat, ut redditam à Philippo, non donatam volebant accipere: Censet tamen naturali juri convenire, ut ei qui suo sumptu rem redemit, tantum reddatur, quantum Dominus ipse ad rem recuperandam liberè impensurus erat.

Vide *Ayalam, lib. 1. tit. 5. num. 40. Gentilem Advocat. Hispanic. lib. 1. cap. 12, & 15. Grotium lib. 3. cap. 9. num. 16.*

16. *Vtrum in Direptione urbis, ei qui primus domum invasit, an ei qui postea in domo latentem cepit, redemptionis pretium debeatur?*

CVm Civitas quædam, uti refert *Petrinus Bellus*, diriperetur, quidam signifer cum commilitonibus ingressus est monasterium, illudque secundùm militarem licentiam expilavit: Erat autem intra illud monasterium Nobilis quidam in cubiculo secreto absconditus, qui indicio ejus famuli, in manus alterius Capitanei, qui postea intravit monasterium, devenit, priusquam à signifero deprehenderetur: quærebatur, uter eorum, ad pretium redemptionis, potius jus haberet. Pro signi-

fero contendebatur, quòd cum primus invasisset monasterium, quicquid in eo continebatur, ad ipsum pertinebat, cum possessor continentis, etiam possessor contentorum habeatur: quòd secundum consuetudinem militarem, qui domum occupavit, omnia in domo occupâsse intelligitur. Pro parte contraria arguebatur, quòd quæ neque corpore, neque oculis comprehenduntur, animo acquiri nequeunt: Et ex Jurisconsultorum sententia, qui fundum possidet, thesaurum quem in fundo positum nescit, nequaquam possideat: Et quoad Consuetudinem militarem, non eandem esse rationem domus privatæ & monasterii, propter diversas & multiplices habitationes, quæ ejus ambitu continentur; pro jure Capitanei pronuntiatum refert *Petrinus Bellus.*

Vide *Petrinum Bellum, part. 4. tit. 8. num. 15. L. Neratius, L. Quemadmodum, D. de acquir. possess. Gentilem, lib. 2. cap. 16. Alciat. 5. consil. 41.*

17. An

17. *An qui militi præbuit equum, prædæ ab eo captæ particeps esse debeat?*

PRæfectus turmæ Equitum Hispanorum, cum prælio tuba caneret, unum ex Equitibus suæ turmæ obvium habuit; qui questus est, quod paucis ante diebus, equum suum in certamine amiserat, propter quod non poterat imminenti prælio interesse; unde jussit Præfectus, ut unum ex suis equis conscenderet, & ipsum comitaretur; Miles equo conscenso inter fugandum hostes, incidit in ipsum Ducem hostilis exercitus, quem cepit & consignavit Duci exercitus Hispani, qui à captivo vicena aureorum millia est consequutus: Dicebat Præfectus partem pretii hujus redemptionis sibi deberi, quod miles equo suo dimicaverat, qui aliàs prælio interesse non potuit: *Petrinus Bellus* affirmat se, cum esset Bruxellis in curia Hispaniarum Regis de hac quæstione consultum, & censuisse, pro Præfecto facere æquitatem, quæ præcipuè respicitur inter milites, quorum controversiæ ex æquo & bono dirimendæ sunt; unde ultra conventa quis obligatur ad id, quod alterum alteri præstare oportet:

Præfectum etiam proposuisse consuetudinem Castrorum, ut qui equum commodat, admittatur in partem lucri, ait vero, se cum à Curia recederet, hanc litem indecisam reliquisse; postea autem audivisse, fuisse pronuntiatum contra Præfectum, jure, an injuria non definit.

Vide *Petr. Bellum, part. 4. tit. 8. num. 8.*

18. *Si captus in prælio, denuò capiatur, cuinam Redemptionis pretium debeatur?*

IN Prælio inter cohortes Caroli V. Imperatoris, & Francisci Regis Galliæ, Gallus nobilis in potestatem militis Cæsariani redactus est, qui in signum deditionis ensem tradidit, & promisit non aufugere, remansit tamen in suo equo cum clava; inciditque paulo postea in alium Cæsarianum Equitem, qui clava ei abrepta, & dimissis de equi cervicibus habenis, ipsum captivum abduxit: supervenientibus vero Gallis, Cæsarianorum turma fugam fecit, & Equus effrænis sua sponte Cæsarianos fugientes insequutus est, donec perventum est ad Pedites Cæsarianos, qui fugam suorum compresserunt, hostes repulerunt, captivumque illum,

lum, quem equus ducebat, ceperunt, unde quærebatur, cujus captivus verè haberetur, an primi cui fidem & enſem dederat; an ſecundi, qui clavam ei eripuerat, & infrænem in equo fecerat; an Peditis qui tertio ipſum vagantem ceperat; dicebat *Petrinus Bellus* pro pedite pronuntiandum; quia quod ad eos attinebat, qui ipſum primo & ſecundo loco ceperant, Gallis irruentibus, & Cæſarianis in fugam verſis, captivus priſtinæ libertati reſtitutus videbatur. *Baldus* in caſu prope conſimili diſtinguit, an primus capiens, captivum actu retinuerit; an ſuæ fidei commiſerit, & dicit, quod ſi retinuit vel abduxit aliquo tempore, eſt verè & in ſolidum captivus primi capientis: Si vero non retinuit, nec abduxit, ſed ſub fide relaxavit; ejus verba & promiſſionem non obſtare, quo minus per alium capiatur. *Petrino* vero *Bello* indiſtinctè concludendum videtur, ſive manuductum, ſive ſuæ fidei commiſſum, non poſſe per alium capi: Quia is quem fides obſtringit, non minus capientis cuſtodia coërcetur, quam ſi manibus aut vinculis teneretur: Hæc vero obtinent inter milites ejuſdem partis, & cum præſumitur primo capientem poſſeſſionem animo retinere: Recuperatus vero à ſuis, id eſt, à

parte capienti adversa, vel pro derelicto habitus, quod præsumendum est ab iis qui fugiunt, quo minus ab alio denuo capiatur, nihil impedit.

Vide *Petr. Bellum, part. 4. tit. 7. num. 11. Baldum in 4. Adoptionem. C. de Adoptione.*

19. *An Princeps à milite privato captus, ab eo detineri possit?*

CVm Eduardo III. Rege Angliæ Calesiam obsidente, David Rex Scotiæ cum numeroso exercitu Angliam invasisset, Reginæ auspiciis exercitus collectus, cum iis congressus Scotos penitus fudit; Rexque eorum à Johanne Coplando armigero captus ad castrum cui ipse præfuit, abductus est; quod cum Regina rescivit, literis ad ipsum datis imperavit, Regem captivum ad se adducere: Quibus Coplandus respondit, se nemini, nec viro, nec mulieri, præterquam Regi, Regem captivum cessurum. Itaque Regina Literis ad Regem missis, de contumacia Coplandi questa est: Rexque eum ad se Calesiam obsidentem accersivit, qui cum comparuisset, factumque excusasset, Rex ipsi condonavit, & terras ad valorem quin-

quingentarum librarum ipsi, ejusque posteris concessit; Sed tamen Regem captivum in manus Reginæ tradere mandavit; quod Coplandus in Angliam reversus, Reginæ etiam indignationem deprecatus, seriò & humiliter præstitit.

Vide *Frossard. historiar. lib.* 1.

20. *An Civitas bello capta amittat jura?*

CVm Alexander Thebas evertisset, invenit tabulas, quibus continebatur, eos centum talenta Thessalis mutuo dedisse: Has, quia Thessalorum commilitio usus fuisset, iis ultro donavit Alexander, postea Thebani à Cassandro restituti reposcunt Thessalos, apud Amphictionas agunt. *Hotomannus* pro Thebanis arguit, quod Alexander non universalis & juris successor, sed particularis, & rerum particularium fuerit; Quia victores earum rerum Domini fiunt quæ manu capiuntur: Item quod Thebani jure postliminii jus suum pristinum recuperâssent, *Gentilis* vero pro Thessalis defendit, quod Alexander Thebanorum universalis successor habendus fuerit, cum eversæ sint Thebæ, & quasi

mortem passæ essent, quod & ante censuit *Ærodius* qui omnia *Hotomanni* argumenta recenset, & Amphictionas pro Thessalis judicasse arbitratur.

Vide *Hotoman. illust. quæst. 5. Gentilem, lib. 3. cap. 5. Ærodium, lib. 1. tit. 9. Ayalam, lib. 1. cap. 5. num. 41. Grotium, lib. 3. cap. 18. §. 4.*

21. *Vtrum Ferdinandus Rex Hispaniæ, regnum Navarræ pulso Iohanne Albretano Rege, justè occupaverit?*

CVm Ludovicus XII., Galliæ Rex, contra Civitates Pontificias in Italia bellum moveret; Julius II. Pontifex Ferdinandum Regem Hispaniæ, & Henricum VIII. Angliæ, (ad quem jus ad Ducatum Aquitaniæ pertinebat) ut contra Gallum, bellum moverent, excitavit: Quorum copiæ ut convenirent, Regi Hispano opportunum visum est, per Navarram exercitum ducere, idque à Johanne Albretano Rege, missis Legatis petiit, & cum non impetraret, regnum invasit, & Rege à copiis, & auxiliis imparato, cum conjuge & Liberis Benearnum, cis Pyrenæum se recipiente, occupavit: Ferdinandum Regnum Navarræ justè occupasse

passe defenditur, quia transitus per regnum, qui de jure gentium debebatur, negatus esset: Ob ejusmodi causam Mosen Amorrhæorum, Judam Ephronitarum, Civitates evertisse: Insuper Johannem Navarræ Regem, quod in Galli, Ecclesiæ Romanæ hostis, partes propensior esset, à Pontifice excommunicatum; & regno, quod in Hispanum translatum, exutum fuisse. Pro Johanne Albretano asseritur, ipsum Regis Galliæ fiduciarium fuisse, & multum patrimonii; quod si Hispano faveret, amissurus erat, ultra montes Pyrenæos in Gallia habuisse: Hispanum non solum transitum, exercitui permitti; sed, ut exercitui consuleretur, arces, & loca munita, quæ armatis sine periculo concedi non potuerunt, flagitâsse. Pontificis Romani censuram, non minus quod sine causa injustam, quam translationem regni, sine authoritate ineptam fuisse. Quemadmodum, cum Alexander VI. Pontifex Indiam Occidentalem Hispano donasset: Attabaliba, Rex Peruanus dixit, eum insigniter fatuum & impudentem esse, qui aliena tam liberaliter largiretur.

Vide *Pro Hispano Antonium Nebrissensem de bello Navarriensi. Iohannem Lopium de obtentu regni*

gni Navarræ. Antonium de Padilla ad L. Per Agrum. C. de Servitut. Et aqua. Contra Hiſpanum, Carol. Molinæum ad Conſuetud. Pariſienſis. §. 41. Repute aage, num. 8 Bodinum. lib. 1. cap. 9. num. 120. Benz. Hiſtor. novi Orbis. l. 3. cap. 3.

22. *Vtrum Philippus II., Rex Caſtellæ, Antonium Regem regno Portugalliæ, juſte ejecerit?*

EManuel Rex Portugalliæ filios habuit, Johannem, Henricum, Ludovicum, Eduardum & Elizabetham filiam: Johannes ſucceſſit Emanuëli; cujus ſtirpe deficiente, regnum Henrico Cardinali delatum eſt; qui cum ſenex eſſet, & orbus, de ſucceſſione publicum judicium inſtituit, in quo comparuerunt, Antonius Ludovici filius, ſed habitus illegitimus; Rainutius Farneſius Dux Parmenſis, ex Maria Eduardi filia nepos, Catharina Duciſſa Bragantiæ, ejuſdem Eduardi filia, & Philippus Rex Caſtellæ Elizabethæ filius. Quæſtione habita de natalibus Antonii, ſententia lata eſt contra Antonium, quâ ſpurius pronuntiatur. Henricus priuſquàm aliquid de ſucceſſione decreviſſet, deceſſit; Populuſque Antonium, Ludovici filium Regem elegit, & coronari

nari fecit. quem poſtea Philippus II. miſſo exercitu, ſub Albano Duce, fugavit, & Portugalliam totam ſub poteſtate redegit. Pro Antonio diſſerebatur, Sententiam ab Henrico latam, qua ſpurius pronuntiatus eſt, à Pontifice Romano improbatam fuiſſe; Ludovicum patrem ejus cum matre matrimonium, etſi clandeſtinum, & ex cauſis aliquot diſſimulatum, legitimum tamen contraxiſſe; & ita habitum, impedimento fuiſſe ne Henricus VIII. Rex Angliæ, filiam Mariam Ludovico deſponſaret: Sin minus legitimè natus fuiſſet, quamplures filios naturales, non ſolum in Portugallia, ſed in Caſtella & aliis regnis, patribus ſucceſſiſſe. Præterea ſi in Cognatione regia, Linea maſculina deficeret, Populus Luſitanus jus eligendi Regem ad ſe devolutum contendebat. Pro Philippo arguebatur, quod ſatis exploratum fuit, Antonium illegitimè natum fuiſſe, quòd Henrici ſententia Pontifici diſplicuit, quia ipſius authoritate poſthabita, Rex in cauſa matrimonii judicaſſet: Quod prætenſum jus Antonii ab aliis omnibus cognatis improbaretur; Quod Populo eligendi Regem, aliquibus ex regio ſanguine exiſtentibus, nequaquam competeret: Quod priuſ-

priusquam regnum invasit, Jurisconsultos & Theologos consuluit, & per Deum & fidem obtestatus est, ut de ejus jure quid statuendum, veraciter edicerent, & ex eorum consilio jus suum ad regnum asseruisset.

Vide *Camden. Eliz. anno 1582. Pro Antonio. Declaration de succession sur le royaulme de Portugal, impress. Antverp. 1582. cap. 2. Discours du Roy Don Antonio à Paris. 1607. Pro Philippo, Hieron. Conestragium de Portugalliæ & Castellæ conjunctione. Antonium Viperanum de Obtentu Portugalliæ.*

23. *Utrum Lusitani regnum Portugalliæ, à Philippo IV. Rege Hispaniæ, ad Iohannem Ducem Bragantiæ justè transtulerint?*

IN Judicio quod de Successione in regno Portugalliæ Henricus Rex instituit, Rainutius Farnesius Dux Parmensis, ex Maria, Eduardi fratris Henrici filia seniore, natus contendebat, secundùm jus purum, & simplex, Reges quot filios, tot primogenituras relinquere, primâ finitâ secundam, & secundâ finitâ tertiam, & sic deinceps succedere, & proinde Johannis, Henrici & Ludovici lineis deficientibus

bus se ex Maria, Eduardi filia natu majori, ad successionem præ reliquis admittendum. Pro Catharina Ducissa Bragantiæ, immediatè Eduardi filia arguebatur, Patrem Eduardum si tempore mortis Henrici in vivis fuisset, indubitatum futurum regni hæredem, Eduardo defuncto ipsi ejus filiæ superstiti idem jus competere, eam Rainutio gradu proximiorem, & Philippo sororis filio, cum ipsa esset fratris filia, præferendam. Pro Philippo Castellæ Rege, Isabellæ Emanuelis filiæ, & Caroli V. Imperatoris filio, asserebatur; Rainutium Eduardi nepotem, & Catharinam ejusdem filiam, beneficio juris Repræsentationis niti, quod nihil aliud erat, quam fictio juris civilis, nec ad regnorum successiones pertinebat, ipsum Rainutio gradus proximitate, Catharina sexus nobilitate, utrisque ætatis prærogativa potiorem. A Philippo IV. (Philippi II. qui armis regno potitus est, nepote) Lusitani regiminis Castellani pertæsi, descisentes, Johannem Bragantiæ Ducem, Theodosii filium, & Catharinæ nepotem ad regnum promoverunt: Castellani id ut injustè, & nequiter factum incusant: Quod non solum jure sanguinis, sed & justæ victoriæ, Philippus II. regnum adeptus sit. Quod Lusi-

Lusitani universi ejus & hæredum imperio parere jurejurandis devincti erant. Quod Dux Bragantiæ pro Ducatu, Regi præsenti fidelitatem debuit, & summæ ingratitudinis reus sit, quod militari in regno potentia contra Regem abusus est; Lusitani contra defendunt: Quod Philippus II., nullo sanguinis jure regnum obtinuit, cum Leges Fundamentales regni, Extraneos in regno succedere non permittant; Quod regnum armis subjugatum, armis se in libertatem vindicare posset. Quod possessor malæ fidei nullo tempore, nedum sexaginta annis præscribere possit. Quod Reges Castellani à Lusitanis juramentorum, quibus obedientiam promiserunt, observationem expectare non debuerint, cum ab ipsis, quæ tempore inaugurationis jurati promiserunt, non observarentur, nimirum cum Margareta Ducissa Mantuæ gubernatrix regni constitueretur, quæ etiamsi erat regii sanguinis, tamen non erat intra designatos gradus: Cum negotia ad regnum Portugalliæ pertinentia, non consilio Lusitanorum in Hispania, prout debuerunt, sed arbitrio Castellanorum expedirentur: Cum in consilio Lusitaniæ supremo, nec non in Consiliis Patrimonii Regii,

Regii, Caſtellani adhiberentur. Ad Ducem Bragantiæ quod attinet, Fidelitatis Regi promiſſionem juri proprio non derogaſſe, nec favoris Regii causâ, officium erga patriam omittere debuiſſe ; Cum multis aliis, quæ ab authore Luſitaniæ liberatæ, recenſentur.

Vide *Pro Rainutio Conſilium Iuriſconſult. Patavin. Pro Catharina Bononienſium & Peruſin. Pro Philippo Michaëlem ab Aguyrre. Pro Luſitanis, Antonii de Souza Luſitaniam liberatam, & authores utrinque ab eo relatos.*

24. *Vtrum Ferdinandus à Bohemicis abdicatus, regnum armis juſtè occupaverit ?*

FErdinandus Caroli Archiducis Auſtriæ filius, Matthiæ Imperatoris conſanguineus, Pragæ in Comitiis Ordinum, menſe Junii 1617. ſucceſſor in regno Bohemiæ deſignatus eſt, & menſe Julii coronatus. Poſtea Matthia, menſe Martii inſequente defuncto, Ordines Ferdinandum abdicant, & Fredericum V. Electorem Palatinum, in Regem elegerunt. Bohemiæ Ordines eum juſtè abdicatum aſſerunt. Quod ipſis jus Electionis liberæ competat, quod exemplis ab anno Chriſti 345. uſque ad tempus Matthiæ Imperatoris oſtendunt. Ferdinandi deſignationem, condi-

conditionatam fuiſſe, ſcilicet ea lege (quod ſcripto cavit) ne vivo Matthia, regimen uſurparet, & ne, (prout juramento ſe aſtrinxit) quicquam contra libertates, & privilegia illius regni attentaret. Ferdinandum vero Matthia vivente, regni negotiis ſe immiſcuiſſe, Religionem Euangelicam exterminare molitum eſſe, Externos milites ad opprimendum incolas induxiſſe, & in præjudicium perpetuum liberæ electionis, cum Hiſpano Rege, Religionis Pontificiæ aſſertore acerrimo pactum de transferendo regno iniiſſe. Pro Ferdinando contenditur, Jus Electionis quod habent Bohemi, ad familias Archiducum, & Regum ſemper fuiſſe aſtrictum, Juſque ſucceſſionis, quam Electionis, in eo regno potius, ſemper habitum fuiſſe, Illum legitimè electum, nec quicquam, cur abdicaretur, admiſiſſe, Quod vivente Matthia, nihil niſi ex ejus mandato, ad ſedandos tumultus fecerit, quod nihil ex cauſa Religionis, contra Profeſſores Auguſtanæ confeſſionis, (qui ſoli in Germania tolerati ſunt) ſuſceperit. Quod Bohemi primo contra Matthiam Imperatorem arma ſumpſerint, eoque languente caſtrum Pragæ, cum ſceptro & Corona Bohemica occupaverint, Directores ad guber-

gubernandum regnum conſtituerint, Quod pactum cum Hiſpano de ſucceſſione in regno, cum conſenſu Imperatoris Matthiæ, & fratrum ſuorum (quorum interfuit) pro bono publico, ad evitandum ſcilicet bellum, cum potentiſſimo Principe, de Domo Auſtriaca, jus ad ſucceſſionem prætendente, initum fuerit.

Vide *Pro parte Ferdinandi, Ius hæreditarium Auſtriacum. Goldaſtum de Bohemiæ regni juribus Lituram pro utroque, nonnunquam. Contra informationem Cancellariæ Anhaltinæ. Animadverſionem in Lituram, cum Deductione Bohemica, & informatione Gallica. Catholicon, & Notorium Imperatoris Ferdinandi, & Frederici 5. Electoris. Evidentiam cauſæ Bohemicæ.*

25. *Vtrum Ferdinandus Imperator, Fredericum Palatinum & liberos, Electoratu, & ditionibus juſtè ejecerit?*

FErdinandus II. Imperator, Fredericum V. Comitem Palatinum, quod Bohemiæ regimen in ſe ſuſcepiſſet, criminis læſæ Majeſtatis condemnavit, Palatinatu, & Electoratu exuit, ejuſque dignitates & ditiones in Bavariæ Duces tranſtulit. Quæſitum eſt, 1. An Imperator, ſine conſenſu Principum Imperii, ipſum pro-

proscribere potuit. 2. An juste liberos una cum patreDignitatibus,& Ditionibus privaverit. Qui partes Imperatoris sustinent, juste eum feciſſe asserunt, Quod si quis Ferdinando Bohemiæ Regi injuriam inferat, eandem idem Ferdinandus Imperator coërcere possit,cum qui duas personas sustinet, utriusque jure, & privilegiis uti non prohibeatur, Quod in causa manifesta, & notoria, Consilium Ordinum,aut Principum adhibere necesse non fuerit, Quod Electores alii, saltem major pars eorum, proscriptionem ratam habuerint. 2. Quod ob crimen læsæ Majestatis non solum jure Civili, (prout *Arcadius* & *Honorius* statuerunt) liberi hæreditate, & succeſſione paterna spoliantur, sed aliarum gentium consuetudine, (Italiæ scilicet,Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ) ob crimen à Patre commiſſum, Posteri amittant feuda,cum tacitum pactum traditioni feudi intervenire censeatur,quo Dominus jusCommiſſi stipuletur,non modo ab ipso Donatario, sed etiam ab omnibus eidem substitutis, casu quo facinus Commiſſorium perpetratum fuerit. Qui Comitis Palatini partes agunt, aliter arguunt. Nullo jure licere, in propria causa Judicem agere, Constitutionibus & Capitu-

Capitulationibus Regum Romanorum, immo ipsius Ferdinandi, Imperatorem astrictum, in gravioribus causis, Ordinum, aut Electorum consilium adhibere, Principes Imperii, ex privilegio, in causis quæ earum Ditiones, aut Dignitates concernunt, nullius præterquam Parium judicio subjici: Electores, qui Proscriptioni assensum postea præbuerunt, non collegialiter congregatos, sed seorsim singulos suffragia exhibuisse, Sententiam, ipso jure nullam, confirmari non potuisse. Quod ad Frederici liberos spectat; *Alphenum* Jurisconsultum, respondisse, Eum qui Civitatem amiserat, nihil aliud juris, liberis adimere, nisi quod ab ipso ad eos perventurum sit, Quæ vero non à Patre, sed à Natura, à Civitate, à Genere tribuuntur, ea manere iis incolumia, Germanica feuda, à feudis aliorum regnorum discrepare, quippe in Italia, Gallia, Hispania, feuda esse in patrimonio, ea qui possident, alienare, amittere, & à posteris avertere posse. In Germania feuda, præcipuè Dignitatum illustrium, ex Provisione Legis fundamentalis, & Consuetudinis perpetuæ observantia, itaad liberos, & Agnatos pertinere, ut Prædecessores, nullo facto, jus iis competens, auferre, aut

aut transferre possint, cum virtute primæ concessionis, & investituræ, non hæreditatis paternæ, deferantur, Et Generis, non Patris sint Beneficia, & possidentes pro vita tantum, jus habeant. Itaque nec crimine læsæ Majestatis confiscantur, nec bello justo in præjudicium liberorum amittuntur. Quod pro liberis Marchionis Montiferrati de Castris quibusdam feudalibus à Duce Bavariæ captis, & à Patre eorum, Pacis causa dimissis, judicatum perhibetur. Prout & reliqua, Clarissimorum Jurisconsultorum autoritatibus, & sententiis consentanea asseruntur.

Vide *Pro Imperatore Bannum Imperiale, Iustitiam Imperialem. Pro Palatino Nullitatis Libellum. Speculum Banni. Catholicon, & Notorium parte 3. Vindicias Causæ Palatinæ authore Iohanne Ioachino à Rusdorf.*

26. *Vtrum Rex Sueciæ, cum Exercitu, Germaniam justè invaserit?*

CVm Ferdinandus II. Imperator, Ferdinandum filium Hungariæ, Bohemiæque Regem coronari obtinuisset, Principes Germaniæ, præsertim Electores, (uti *Baptista Burgus* refert) eundem etiam ad regnum Romanorum promoturum, suspi-

ſuſpicabantur, & proinde ne Auſtriaci hæreditariam ſucceſſionem ad Imperium præſcriberent, Hiſpani plus æquo rebus Germanicis ſe immiſcerent, Reformatæ Religionis Profeſſores, prout ex Auſtria, & Bohemia, ita etiam ex Germaniæ ditionibus pellerentur, conſilium inierunt armis, & vi armata, Libertates, & privilegia Imperii vindicare, & Religioni ſuæ conſulere, cumque de Germano Duce minimè convenire poſſent, quod nemo ex Germanis alteri cedat, nec pro præſenti Cæſaris potentiâ, delectus militum in Germania ſine periculo haberi poſſet, conſultius duxerunt Principem aliquem externum, Germanis gradu, & dignitate eminentiorem, militiæ præficere, præcipuè Sueciæ Regem, Reformatæ Religionis aſſertorem, bello innutritum, invictum, cuiq; cũ Cæſare ſimultates intercederant; Eidem igitur arma, pecuniam, & omnia neceſſaria pollicentes, Regem in eorum partes pellexerunt, ut alieno periculo, propriâ gloria in Germania bellũ faceret. Guſtavus vero Rex Sueciæ, ut juſtæ cauſæ profectionis ſuæ innoteſcerent, Libellum, Latino & Germanico ſermone, edidit, in quo refert injurias, ſibi, & confœderatis ſuis, à Cæſarianis illatas; Se quod Stralſundam

dam obsidione liberasset, indigne tractatum, & Hostibus suppetias à Cæsare missas. Pro injuriis refert, 1. Quod Cæsariani suas ad Transilvaniæ Principem literas interceperant; Tabellario in carcerem conjecto, easque conficta verborum interpretatione, in ejus invidiam publicaverant, 2. Quod cum inter Regem, & Polonos pax tractaretur, nihil omiserint, ut pacem interturbarent, Polonis ultro subsidia offerentes, concedentesque ut milites in Germania conscriberent, & arma contraherent: Germanis vero, ne Regi militarent, interdicerent. 3. Quod subditos suos Commercii causa, ad Germanica littora appellentes, ablatis mercibus, & confiscatis navibus, spoliaverant. 4. Quod expulsis Megapoleos Ducibus, omnia totius Megapoleos, & Pomeraniæ loca, tam maritima, quam mediterranea, muniverant. 5. Quod classem ad Balticum mare infestandam instruxerant, & Valestanus Fridlandiæ Dux pro Admirallo, vel Generali maritimo, in præjudicium sui juris constitutus esset. Ad Stralsundam Vrbem quod attinet; Cum, quòd Exercitum Cæsaris, qui adjacentes regiones hostiliter vastaverant, recipere recusasset, donec mandatum à Cæsare haberetur, arcta obsidione

sidione premeretur, & posthabito præsidio Regis Daniæ, quod is tum temporis hostis Imperii habebatur, Regis Sueciæ auxilium imploravit; Is coactis militibus urbem obsidione, & excidio, quod ei Exercitus Vallestani minabatur, liberavit; Eamque salvam & integram Cæsari conservavit: Cumque tractatum Pacis inter Imperatorem & Regem Daniæ Lubecæ instituendum intelligeret, suos Legatos eò mittendos censuit, qui Stralsundensis Vrbis causam accommodaren,tquosRex Daniæ gratè admisit;Legati vero Cæsaris, magna cum indignitate repulerunt; nec tantum urbe Lubeca: sed toto etiam solo Germanico, sub extremi periculi interminatione facessere jusserunt. De Suppetiis Hosti ministratis, Quod Dux Holsatiæ cum Exercitu, sub ipsius Cæsaris signis, Polonis subsidio, contra Regem missus esset; Quodque postea, Exercitus in Borussiam, sub Cæsaris Campi Mareschallo duceretur. De his à Rege Sueciæ ad Electores Imperii, priusquam ejus milites in Germaniam irruperunt, Literæ datæ; Quibus post quatuor menses, responsum ab Electoribus, Se, quod Amicitia, quæ Regiæ dignitati, cum Romano Imperio, à Pacis Osoribus violata esset,

non probare, nec credere Cæsarem, Exercitum in maris Baltici fines, ad præjudicium Regis mandasse; sed, ut eorum conatus, qui hostium partes foverent, reprimeret; Stralsundanos, si opere magis quam verbis, erga Cæsarem obsequentes fuissent, promptiora remedia contra militum injurias, ab ejus Clementia, quam ab externis auxiliis reperire potuisse. Cæsarem, Regem Poloniæ amicum, & consanguineum deserere non decuisse, nec rem tanti momenti fuisse, ut propterea novi motus in Imperio concitarentur, cum rationes pacis conciliandæ non deessent, & proinde rogant, ut arma quamprimum deponat. Quibus Rex aliis literis significavit, Gratum sibi, quod injurias à Pacis perturbatoribus illatas non probent, multo gratius fuisse, si rationes quibus arcerentur, proposuissent; Se de Cæsare nihil suspicari, de irruptione militum in fines maris Baltici, sed postquam tot atroces injurias, à Pacis perturbatoribus passus esset, se eos suspectos merito habuisse; Stralsundanos paratos causam suam coram æquis arbitris agere, de qua minus est quod dubitent, cum contra Cæsaris Decreta se oppressos exploratum habeant: Amicitiam, & Cognationem, quæ Cæsari

Cæsari cum Rege Poloniæ intercedit, non posse se obligare, ut hostilem impressionem ferat, aut dissimulet; Se denique Exercitum, ex Imperii finibus deducturum, cum de injuriis sibi illatis satisfactum fuerit.

Vide *Petri Baptist. Burgi Comment. de bello Suecico. Philippi Arlanibæi Arma Succica. Deduction. causarum. Regis Sueciæ literas ad Electores, p. 4, & 5. Electorum ad Regem, p. 36. Regis denuo ad Electores, p. 49.*

SECT. IX.

De Quæstionibus Debiti inter eos quibuscum Bellum est.

Quæstiones de Debito inter eos quibuscum bellum est, sunt, in quibus quæritur de Iure Congressus, Legationis, Conventionis, & Fœderis militaris.

1. *Vtrum singulari certamine controversias inter Principes derimere liceat?*

DVellum vetitum esse Civili, & Canonico jure, receptum est: Philosophi vero & Jurisconsulti, aliquando probant, & valde laudabile esse aiunt, ex causa ut majus malum evitetur; *Strabo* ve-

tuſtam fuiſſe Græcorum conſuetudinem tradit, ſingulari certamine controverſias dirimere, & apud *Virgilium* Ænæas æquum fuiſſe ait, ut inter ſe & Turnum eodem modo Lis decideretur; Sic apud *Livium*, Metius Tullum alloquitur, ineamus aliquam viam, qua utri utriſque imperent, ſine multo ſanguine utriuſque populi, decerni poſſit.

• Vide *Alciatum de ſingulari certamine. Petrin. Bellum, part. 2. tit. 15. Gentilem lib. 3. cap. 15. Grotium, lib. 2. cap. 23. §. 10. Lib. 3. cap. 20. §. 43.*

2. *An Rex in poſſeſſione Regni ab eo qui jus ad regnum prætendit, provocari poſſit?*

CVm Renatus Dux Andegavenſis Alphonſo Siciliæ Regi Chirothecam ſanguinolentam, provocandi cauſa miſiſſet, ut de jure Regni Duello concertarent: Aliis iniqua conditio videbatur, quod Alphonſus corona inſignitus eſſet, & regnum poſſidebat; Renatus titulo tenus jus ad regium decus prætendebat: Alii tamen juſtam denuntiationem exiſtimabant, cum corona dignitatem non augeat, & poſſeſſio per Alphonſum apprehenſa,

henſa, jus Dominii, quod Renatus ad ſe pertinere contendebat, deterius non redderet.

Vide *Alciatum de ſingulari certamine, cap.* 30.

3. *An Dux Exercitus ab hoſte provocatus, duellum cum honore declinare poſſit?*

CVm Comes Hartfordiæ ſummo cum imperio in Scotiam exercitum Anglorum duxiſſet, & propediem cum Scotorum Duce & exercitu dimicaturus eſſet, miſſus eſt à Gubernatore Scotiæ, Fœcialis ad proponendum conditiones pacis, & Comitis Huntlæi nomine Tubicen qui Hartfordiæ Comiti denuntiaret, ſi propoſitę pacis conditiones non placerent, ad evitandum profuſionem ſanguinis plurium Chriſtianorum, Comitem Huntlæium paratum, duello cum Hartfordiæ Comite, ſi is annueret, de præſenti controverſia concertare: Hartfordiæ vero Comes cum pacis conditiones ut minus honeſtas reſpuiſſet, Tubicini reſpondit; Quod ſi Lis inter ipſum & Comitem Huntlæium fuiſſet, ſe oblatam Duelli conditionem, recuſaturum non fuiſſe, ſed cum controverſia eſſet regni Angliæ, cum regno Scotiæ, non eſſe in ejus poteſtate

tanti negotii discrimen, proprio periculo subjicere, nedum cum publicam Ducis exercitus personam sustineret, convenire, in certamen cum viro conditionis privatæ descendere. Eodem modo cum Dux exercitus Albanorum, Tullum Regem ad duellum provocasset, Tullus recusavit; quod non inter eos, sed inter civitates Romam, & Albam contentio esset; ita provocatio Sertorii à Metello, Antonii ab Augusto, rejecta est, quod non expediret Duces Exercitus privatorum militum fortunis se committere.

Vide *Hayward, in Historia Eduardi VI.*

4. *An miles inferioris gradus militem superioris ad duellum provocare possit?*

CVm in Exercitu Regis Galliæ miles gregarius, Vexillifero Cataphractorum, ut secum armis congrederetur, diem dixerat, à Vexillifero excipiebatur, quod miles gregarius ipsi esset dignitate inferior, & proinde se ad duellum suscipiendum non teneri: At Johannes Jacobus Trivultius vir militaris disciplinæ prudentissimus, tunc Magister Militum Franciſci Regis, hanc exceptionem rejecit; Quia cum miles gregarius nomen in Album mili-

militum dediſſet, & ex militia nobilitas oriatur, ipſe nobilis exiſtimandus erat: Conſtitutio autem Longobardorum, inter provocantem & provocatum æqualitatem reſpicit, cautumque in ea diſertè eſt, ut Comes ab inferiore provocatus per Optionem ſive ſubſtitutum pugnare poſſit; quemadmodum perſonis illuſtribus in criminalibus injuriarum judiciis per procuratores reſpondere permiſſum eſt. *Paris Neapolitanus* ait, Si quis à quarta progenitorum ſerie, hoc eſt uſque ab abavo nobilis ſit, quemcunque etiam Ducem provocare poſſit: *Alciatus* aliter; ſcilicet, quod cum inter Dignitatum gradus aliquis ſit ordo, ut primò Illuſtrium, deinde Spectabilium, tertiò Clariſſimorum: Is qui in eodem gradu Dignitatis eſt, etiamſi qualitatis inferioris, ab alio ejuſdem gradus repelli non poſſit; unde Comes à Marchione, vel Duce non rejicitur, quia omnes ſunt ejuſdem gradus, Illuſtres ſcilicet; Et proinde ei, qui ab uſque abavis nobilis eſt, & qui in armis ætatem egit, permittendum ut cum clariſſimis congredi poſſit; cum illorum ultimus ſit gradus, & inter eos modica ſit inæqualitas.

Vide *Alciatum de ſing. certamine. cap.* 33.

5. *An in bello publico provocatus ad Duellum, privatæ amicitiæ causa declinare poßit?*

ROmanis contra Campanos ob defectionem bellum gerentibus, Badius Campanus, qui T. Quintio Crispino hospes erat perfamiliaris, apud quem Badius ante defectionem, liberaliter, comiterque curatus fuerat, progressus ante stationes, evocari Crispinum jussit; quod ubi Crispino est enuntiatum, ratus colloquium amicum ac familiare quæri, manente memoria, etiam in dissidio publicorum fœderum, privati juris, paulum à cæteris processit. Postquam in conspectu venere, Provoco te, inquit Badius, ad pugnam Crispine: Conscendamus equos, summotisque aliis, uter bello melior sit, decernamus. Ad ea Crispinus, nec sibi, nec illi ait Hostes deesse, in quibus virtutem ostendant, se ab eo etiamsi in acie occurrat, declinaturum, ne hospitali cæde dextram violet, conversusque abibat; Enimverò ferocius tum Campanus increpare, malitiam ignaviamque, ad se digna probra in insontem jacere, hospitalem hostem appellans; simulantemque

temque parcere, cui ſcit parem ſe non eſſe; Si parum publicis fœderibus ruptis, dirempta ſimul, & privata jura eſſe putet: Badium Campanum, Tito Quintio Criſpino, palam omnibus, duobus exercitibus audientibus renuntiare hoſpitium, nihil ſibi cum eo conſociatum, nihil fœderum, hoſpiti cum hoſte; cujus patriam, ac penates publicos, privatoſque oppugnatum veniſſet; Si vir eſſet, congrederetur, Diu cunctantem Criſpinum perpulere turmales, ne impune inſultare Campanum pateretur; Itaque tantum moratus, dum Imperatores conſuleret, permitterentne ſibi extra ordinem in provocantem hoſtem pugnare, permiſſu eorum arma cepit, equumque conſcendit, & Badium nomine compellans ad pugnam evocavit: Nulla mora à Campano facta eſt, infeſtis equis concurrere; Criſpinus ſupra ſcutum, ſiniſtrum humerum Badio haſta transfixit, ſuperque delapſum cum vulnere ex equo deſiliit, ut pedes jacentem conficeret; Badius priuſquam opprimeretur, parma, atque equo relicto ad ſuos confugit; Criſpinus Equum, armaque capta, & cruentum cuſpidem, inſignis ſpoliis oſtentans, cum magna laude, & gratulatione militum, ad

Consules est deductus, laudatus ibi magnificè & donis donatus est.

Vide *Livium, lib.* 25. *Valerium Max. l.* 5. *c.* 1.

6. *An qui die ad duellum constituto, sero in campum prodiit, causa cecidisse judicandus sit?*

CVm Carolus Andegavensis Comes Provinciæ, & Petrus Aragonensis de regno Neapolitano contenderent, de consensu Martini V. Pontificis Romani, convenit, ut uterque centum Equitibus comitatus in Civitate Burdegalensi, quæ tunc erat sub Rege Angliæ, certo die concertarent. Condicto die Carolus summo mane cum suis militibus comparuit, & usque ad horam quintam post meridiem, hostem expectavit, quo non adventante, incusata ejus mora, una cum campi Judice discessit, Eoque discesso statim Petrus supervenit, & hostem non inveniens, de ejus tergiversatione, & sua diligentia protestatus est, unde dubitabatur cujus causa melior fuerit. Pro Carolo arguebatur, quod ipse justo tempore adfuisset, & per longè majorem diei partem hostem expectasset, Pro Petro, quod ipse tempore idoneo

idoneo ad pugnam conficiendam veniſſet, nec adverſarius uſque ad occaſum ſolis cum Judice, quod oportuit, manſiſſet; Pro lite dirimenda alter dies à Pontifice Romano ad decertandum conſtitutus eſt, in quo cum Petrus venire recuſaſſet, eum defeciſſe pronuntiatum, & ea ex cauſa regno privatus eſt.

Vide *Alciatum de ſing. certamine cap.* 41. *Petrinum Bellum part.* 2. *tit.* 15. *num.* 5.

7. *An hoſtes perſequi liceat in Amici territorio?*

BElLo inter Romanos & Carthaginienſes flagranti utrique cum Syphace Numidiæ Rege pacem colebant, in cujus ditionis portu, cum ſeptem triremes eſſent Carthaginienſium, eo cum duabus triremibus Scipio advenit, quæ opprimi à Pœnis potuiſſent, priuſquam portum intrâſſent, ſed vento acriori illati ſunt in portum priuſquam Pœni anchoras molirentur, tum vero Pœnos in regio portu, nihil auſos refert *Livius*. At hoſtis qui eſt, ubique ſecundùm jus gentium impeti poteſt, ita *Euripides*, ubicunque, prehenſum, jura lædi hoſtem ſinunt, & *Marcianus* Juriſcon-

risconsultus, Transfugas licet ubicunque inventi fuerint, quasi hostes interficere: In territorio vero alieno; quod eos interficere, aut violare non liceat, id jus ex ipsorum personis non venit, sed ex jure ejus qui ibi imperium habet, Cum civiles societates constituere potuerint, in eos, qui in aliquo sunt territorio, nihil per vim agi, nisi tentato judicio.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 12. Eundem Advocat. Hisspan. lib. 2. cap. 5. Grotium lib. 3. cap. 4. §. 8. Petr. Bellum part. 2. tit. 18. num. 12. Bodinum l. 1. cap. 6. num. 68.*

8. *Vtrum in hostili solo captum ducere liceat per Amici territorium?*

CVm bellum inter Genuenses, & Mediolanenses moveretur, Præfectus cohortis Mediolanensis nobilem Genuensem, quem in prælio ceperat intra fines Genuenses, per Regionem Bononiæ quæ est territorium Pontificis Romani, ad castrum Mediolanense perduxit, Et perducere potuisse videbatur, quia cum ab initio justè caperetur, jure suo in Captivum Præfectus uti potuit, at Legatus Pontificis id in Domini præjudicium factum ratus, Johannem de Immola, celebrem Juriscon-

risconsultum consuluit, qui respondit, nullatenus fuisse licitum captivum per territorium Bononiense, licentia non impetrata, ducere, Immo injuriarum teneri eum, qui duxerat, & ad exhibendum Legato si petiisset, obligatum fuisse, Cujus sententia à *Petrino Bello* approbatur, quia alibi captus, nondum intra præsidia deductus, in alieno territorio detineri, vel coërceri non debet.

Vide *Iohannem de Immola consil. 50. Petrinum Bellum part. 2. tit. 18. num. 12.*

9. *An Exteros in hostili solo deprehensos offendere liceat?*

COrcyræi, Epidamnum obsessuri, peregrinis primum discedendi copiam faciebant, denuntiando alioquin pro hostibus futuros, & habetur in formula apud *Livium*, Hostis sit ille quique intra ejus præsidia sunt. Quia ab illis damnum quoque metui potest. Quod verum in bello generali, non in repræsaliis, quibus obnoxii non sunt, nisi qui simul onera & munera subeunt, & de iis Peregrinis qui ante bellum venerunt; eoque commisso & cognito intra hostium fines manent,

nent, non de iis qui bello moto, & incognito eo delati sunt.

Vide *Grotium lib. 3. cap. 4. num. 6.*

10. *An ex persistendo in loco pugnæ de victoria statuendum sit?*

ARgivis, & Lacedæmoniis de agro Thyreatico contendentibus, Amphictiones pugna utrinque selectorum hominum rem decernendam censuerunt; Lacedæmonii à sua parte Othriadem, summæ rei, Argivi Thersandrũ præfecerunt; Post prælium de Argivis duo superstites fuerunt Agenor & Chromius, qui de victoria civibus nuntium retulerunt; & postquam ii discesserant, Othriades vulneratus mortuorum Argivorum scuta collegit, & trophæum erexit, quod suo sanguine Jovi consecravit; Redintegrata lite de victoria, Amphyctiones iterum Judices constituti sunt, in quo judicio Argivi victoriam suam pro majori superstitum numero contendebant: Lacedæmonii sibi vindicabant, quod illorum unus superstes, cum alii ex adversa parte, domum se recepissent, in loco pugnæ perstitit, & spolia collegit; & pro Lacedæmoniis sententia

tia lata est: *Gentilis* vero, & *Grotius*, censent, quod etsi qui locum pugnæ retinent, victores creduntur; si tamen Argivos pro timore recessisse ostensum non fuisset, nullo modo pro victis habendos fuisse, maximè cum nocte superveniente abierint, victores se rati, & id suis renunciaturi.

Vide *Plutarch. collat. Græc. & Latin. Gentilem, lib. 3. cap. 15. Grotium lib. 3. cap. 20. num. 45.*

II. *An pro qualitate eorum qui cæsi vel capti sunt, an pro numero victoria sit habenda?*

PHilippus Rex Macedoniæ, & Attalus Rex Pergami, in prælio navali coïerunt, in quo contigit, quod navis Philippi navem Regiam Attali, à suis desertam, ceperit; & in stationem non procul à pugnæ loco deduxerit, unde victoriam sibi Philippus vendicabat; Sed uti ait *Polybius*, magis pro victore se gerebat, quam victorem se sentiebat, cum ex suis multa hominum millia, naves sine comparatione plures amisisset, quando ex parte Attali naves pauculæ, nec plures quam viri centum interierunt: quod

quod *Polybii* judicium, & *Gentilis*, & *Grotius* probant.

Vide *Polybium*, *lib.* 16. *Gentilem lib.* 3. *c.* 15. *Grotium*, *lib.* 3. *cap.* 20. §. 45.

12. *An qui novis copiis supervenientibus cesserint, victi censendi sint?*

POst pugnam navalem, quæ ut *Thucydides* scribit, maxima omnium, quæ Græci cum Græcis interceſſerat, utrinque victoria vindicabatur: Corinthii quod Corcyræos ad noctem usque prælio superassent, depressis navibus circiter septuaginta, captivos non minus quam mille habuerint, naufragia plura, mortuosque receperint, trophæa statuerunt: Corcyræi autem quod triginta ferè naves Corinthiorum corrupissent, aliæque Athenienſibus ſupervenientibus ceſſim euntes pugnam detrectaverint, ipsisque naufragia circa, mortuosque colligendi potestatem fecerint, ob ea etiam trophæum statuerunt; itaque, utrique, inquit, interpretabantur se vicisse, Corcyræi vero sine causa, uti censet *Grotius*, cum Corinthii fœlicius, contra ipsos pugnassent, & non Corcyræis sed Athenienſibus cesserint.

Vide *Thucydidem*, *lib.* 1. *Grotium*, *lib.* 3. *c.* 20. §. 15.

13. *An*

13. *An præmium ei conſtitutum qui alterum occiderit, & ei qui alterum in fugam egit, debeatur?*

PAris, & Menelaus de Helena concertaturi pactum inierunt, in quo ab altero propoſitum, ut qui alterum vicerit, ei Helena cum bonis omnibus conderetur, ab altero conſenſum eſt, ut qui alterum occiderit is Helena cum bonis potiretur. Certamine ingreſſo Paris in fugam ſe proripuit. Apud *Plutarchum* in Sympoſiacis quæſtio ventilatur, An Menelao Helena deberetur: Et alii debitam opinabantur, quia conditio prius oblata erat, ſi alter alterum vicerit, quod abſque dubio Menelaus, qui Paridem in fugam egit, conſequutus eſt, & quamvis poſtea reſponſum ſit; Si alter occiderit, id nihil operari, quia conditio ab uno oblata, ab alio mutari non potuit. Alii in ea erant ſententia, quod verba poſterioris conditionis ad declarationem prioris adhibebantur, quia incertum eſſe potuit, quando quis vinceret, certum autem eſſe, Si alter occideretur: Ideoque ea conditione deficiente, Menelao Helenam non deberi, & ita concluſum ait *Plutarchus*, quia

quia ut in Legum repugnantiis Judices id amplectuntur, quod nihil habet controversiæ, eo quod obscurum est repudiato, ita hic id pactum censendum, potius, quod finem notum certaminis exprimit, & nulli exceptioni est obnoxium: *Gentilis* vero ait, quod Paris in causa succumbere, & Helenam amittere debuit, quia per ejus fugam stetit, quo minus alius finis certamini imponeretur, cum Juris interpretes tradant; Si quis alteri promittat, aliquid dare, si alter ipsum cursu vicerit; deinde ipse nolit currere: nihilominus tenetur idem dare.

Vide *Plutarchum in Sympos. Gentilem, lib. 3. cap. 15.*

14. *An si præmium ei propositum sit, qui primus urbis muros conscenderit si duo simul conscendunt, utrique debeatur?*

CApta nova Carthagine in Hispania Publ. Scipio cum virtutem militum qui muros conscenderant, remunerare vellet, præcipuum muralis coronæ decus ejus fore qui primus murum conscenderat, pro concione dixit, & duo professi sunt,

sunt, se ascendisse, nec satis constare poterat, uter eorum primus, quod pariter ascendissent: *Livius* refert, Scipionem, ambos muralibus coronis virtutis causa donasse. *Vlpianus* vero Jureconsultus ait, si legatum fuerit relictum, ei qui primus Capitolium ascenderit, si simul duo venisse dicantur, nec apparet, quis prior venerit, neutri deberi legatum. Et *Hugo Donellus* in Commentario ad illam *Vlpiani* disputationem, ait, Scipionem magis ex gratia quam de jure egisse, idque Scipionem satis intellexisse, cum privatim declararet, non ideo se ambobus dedisse, quia deberet, sed quia rem pro tempore dissimulare, utile judicabat; scilicet ut refert *Livius*, ut seditionem compesceret, ad quam res spectare videbatur, propter studia partium, erga suos commilitones, si unum alteri prætulisset, aut dedisset neutri. *Grotius* tradit; *Chrysippum* olim hanc quæstionem tractasse, An præmium ei, qui primus ad metam pervenisset; debeatur utrique, si simul pervenerint, an neutri? Quia vox Primi ambigua est, nam significat aut eum qui omnes antecedit, aut quem nemo. Sed quia præmia favorabilia sunt, verius esse concursuros ad præmium, quanquam liberalius non solum

lum Scipio, sed & Cæsar, & Julianus, iis qui pariter muros ascenderunt, solida præmia tribuerint.

Vide *Livium, Decad. 3. lib. 6. Ulpianum D. de rebus dubiis, l. 10. Et ad eam Donellum. Grotium, lib. 2. cap. 16. num. 19.*

15. *An fœcialis ad exteras regiones transiens veniam impetrare teneatur?*

FErdinandus Gonzaga Francisci I. Regis Galliæ Fœcialem in Germaniam missum, in custodiam mitti jussit, & edicto Cæsarei consilii, idem, & finibus Germaniæ egredi jussus est, & denuntiatum, Ne quisquam alius ejusdem conditionis in posterum limites Imperii, nisi prius impetrata venia, ingrediatur, de quo facto, Obsecro, inquit *Paschalius*, ubi lectum aut fando auditum, Caduceatori impetrandam veniam aut securitatem, cujus officium hæc ipsum aliis impetrare, quique peculiare jus habet eo penetrandi quo Legatis aut illicitum est aut intutum, quod censisse videtur Rex Argivorum apud *Æschylum*, qui miratur Daniadas, ausos fuisse ingredi ditionem suam, non præmisso Caduceatore.

Vide *Paschalium, cap. 3. & 22.*

16. *Vtrum*

16. *Vtrum cum iis qui non sunt justi hostes, sit jus Legationis?*

THeodosius Imperator Legatum Tyranni cujusdam sibi rebellis in carcerem conjecit; & reprehendit *Cicero* quod ab Antonio Legatus admissus est, cui portas urbis patere jus non erat, censuitque eidem reditum ad Antonium denegandum. Alexander tamen, uti refert *Curtius*, cum viginti millia Latronum obsedisset, & Barbari, Legatos misissent, eos protenus admitti jussit: Et *Cæsar* libro tertio de bello Civili, expressè ait, Fugitivis & prædonibus è saltu Pyrenæo licuisse Legatos mittere. Verum habetur, justis duntaxat hostibus esse jus Legationis, & quod ab aliis aliquando Legati admissi sunt, id permissum, non in eorum favorem, sed boni communis causa, cum alias omnia reconciliationis media tollerentur, multo magis si hujusmodi Legatis fides data est, ea omnino violanda non est.

Vide *Ærod. rerum judicat. de Legat. c. 23. Gentilem de Legat. lib. 2. cap. 3. Grotium, lib. 2. cap. 18. §. 2.*

17. *An*

17. *An in castra & loca obsessa Legati hostium admittendi sint ?*

LEgati Bœotorum, qui hostes erant Romanorum, à Tito Quintio in castra admissi non sunt; & Constantinus Legatos Magnentii castris excluſit: Et eadem ratio habetur in locis obsessis, itaque Gothi qui Vrbinum præsidio tenebant, Legatos Bellizarii inde properè facesſere jusserunt. Quod maximè rationi consentaneum est, cùm qui in castris, vel loco obsesſo sunt, suis viribus minus fidunt, qui vero se multo potentiores hostibus non dubitant, eorum Legatos etiam in castra admittere minus extimescunt, Ita ab Alexandro Legati Scytharum viginti equis invecti per castra deducti, in tabernaculum admissi, & considere jussi sunt: & Consules Romani qui Vticæ erant, Legationem Carthaginiensium sic admiserunt, Vterque Consul consedit sublimi solio, astantibus utrinque ducibus, Tribunis ac agminibus Legionum, fulgentibus Aquilis, signisque ubique fixis ut hinc Legati, copiarum numerum planè formidabilem agnoscerent, tum, jussu Consulum tuba silentio indicto, Præco effatur; Accedant

dant Legati Carthaginienſes, Illi per Ordines armatorum tranſeuntes, ad Locum Tribunalis, pervenientes, juſſi ſunt à Conſule, quid petentes veniſſent, exprimere. Ita anno 1576. Roſenbergius Eques Bohemus, à Maximiliano Cæſare, ad Polonos Legatus, per media caſtra, intérque equitum refertiſſimas turmas exceptus, productuſque ad locum, ubi Senatus frequens conſedit: Vnde compertum habuit, quam ridiculè falſum fuerit, quod à nonnullis Cæſari perſuaſum fuit, Stephanum Battori, ab ea regni parte, quæ facilè contemni poſſit, Regem deſignatum fuiſſe.

18. *An Legatum ad hoſtem tranſeuntem intercipere liceat?*

CVm Fregoſius, & Rinco Franciſci Regis Galliæ Legati occultè per Italiam ad Turcam contendentes capti, & occiſi eſſent, Rex Galliæ de gravi injuria contra jus gentium perpetrata queſtus eſt. Perſiæ autem Regis Legatos ad Lacedæmonios ab Athenienſibus interceptos refert *Thucydides*; & Legatos Carthaginienſium, ad Regem Macedoniæ euntes, Romani interceperunt, Quod dubitationem non

non habet, si justa sit suspicio, eos aliquid moliri contra eos per quorum territorium transeunt, quod si constet ad alia & separata negotia missos esse, minus justum est eos impedire. Itaque Alexander Magnus capta Tyro, Carthaginiensium Legatos inviolatos dimisit, ut refert *Curtius*, quia aderant ibi ad celebrandum anniversaria sacra.

Vide *Bodinum, lib. 5. cap. ult. Besold. de Legation. cap. 5. num. 15.*

19. *An Securitas itineranti concessa, paranti se ad iter debeatur?*

IOhannes de Figueroa Dux Exercitus Philippi Regis Hispaniæ, salvum conductum concessit Marchioni Messarani (qui erat factionis Gallicæ) eundi à Castro suo, Venetias; postea idem Dux invasit terras dicti Marchionis, ipsum captivum fecit, & ab eo redemptionis pretium exigebat: Prætendebat quod Securitas, data erat, ut iter facere tutò posset, non ut domi tutò moraretur, Ibi captum fuisse, ubi consilio, & opibus hostibus auxiliari potuit. Pro Marchione ferebatur, quod ad iter se parabat, cum captus fuit, & pro itinerante haberi debuit, quod cui plus conces-

conceſſum erat, tranſire ſcilicet, per territorium Regis Hiſpaniæ, quod minus, ſcilicet domi ſuæ manere dum iter pararet, ipſi periculo futurum, neminem ſuſpicari potuiſſe. *Petrinus Bellus* refert ſe, cum eſſet unus Judicum, Litem indeciſam reliquiſſe, & Lectori relinquit judicium.

Vide *Petrin. Bellum, part.* 3. *tit.* 1. *num.* 15.

20. *An cum ſecuritas eundi data eſt, etiam redeundi conceſſa intelligatur?*

BArtolus, Angelus, & alii DD. dicunt, Quod Securitas data pro eundo, cenſetur etiam data pro redeundo, quia non dicitur ſecurè veniſſe, cui non licet tutò recedere; Et quia tempus acceſſionis, manſionis, & regreſſus, à pari judicantur. Alexander vero, Geminianus, & alii tenent contrarium; Quod Imperatores Conſtantinus, & Julianus, verbis expreſſis, Navicularios venientes, & remeantes ſecuritate potiri ſtatuerunt. *Petrinus Bellus*, putat, variè poſſe reſponderi, pro ſubjecta materia, & mente concedentis. Nam ſi Dux belli concedat hoſti ſecuritatem veniendi in ſuum præſidium, & ibi commorandi per triduum,

absurdum esset, si lapso triduo, eum tutò abire non pateretur: At si concedat ut eat Romam, aut ut eat in Galliam, ipsa itione consumitur actus, nec à verbis est recedendum.

Vide *Petrin. Bellum part. 9. tit. 1. num. 21. & DD. ab eo citatos.*

21. *An Securitas eundi data, ad primum duntaxat eundi actum, sit restringenda?*

IVrisconsulti communiter dicunt, Securitatis Licentiam restringi, ad actum primum, nec iterationem permitti, cum distinctione tamen, videlicet, ut si Petitio fuerit simplex, & indeterminata, & concessio determinata pro una, vel pluribus vicibus, secundum concessionem determinatam, securitatem esse intelligendam: Et si determinata fuerit petitio, & securitas simpliciter, & indeterminatè concessa, secundum petitionem esse præstandam; Si vero simpliciter, & indeterminatè facta sit petitio, & eodem modo simpliciter, & indeterminatè securitas sit concessa, intelligendam semel duntaxat, & pro prima vice. Nisi causa petendi aliud suadeat, ut si petita & concessa sit, ad tractandum de pace; nam tunc præstanda est Secu-

Securitas, toties quoties, pendente tractatu Pacis.

Vide *Bartol. ad L. 1. D. ad L. Iuliam Majestatis. Petrinum Bellum, part. 9. tit. 1. num. 24. & DD. ab eo citatos.*

22. *An Securitate eundi alicui data, is possit alium mittere?*

CVm esset Securitas data cuidam Marcello, veniendi ad Civitatem Astensem, cum decem equis, & rebus aliis, Marcellus suo loco uxorem misit, unde Equi, & res aliæ interceptæ sunt. *Baldus* affirmat, licuisse ei uxorem mittere, propter unitatem vigentem inter conjugatos, & Equos, & res alias restitui debuisse, quia verbis expressis continebantur in diplomate Securitatis. *Grotius* vero de hac quæstione, & præcedentibus, ita statuit, Cui abire datum est, non datum est redire, sed nec cui venire concessum est, is mittere poterit, sunt enim hęc diversa, nec extra verba ratio expatiari cogit: Sed & cui venire permissum est, is semel veniet, non iterum, nisi adjectio aliam conjecturam suppeditet.

Vide *Petr. Bellum, part. 9. tit. 1. num. 13. Et DD. ibid. Grotium, l. 3. c. 20. §. 16. Gentilem, l. 2. c. 14.*

23. *Virum Securitatem in pace datam, bello erumpente violare liceat?*

CVm ratione induciarum inter Cæsarem, & Gallorum Regem pax vigeret, quidam Germanicus Savorganus, Regis Galliarum miles, haud ignobilis, impetravit, à Francisco Estensi, Ferdinandi Gonzagæ Imperialis Ducis substituto, salvum conductum divertendi ad Aquas Statilienſium in Liguria, sanitatis recuperandæ causa, quò vix devenerat, cum Galli duo præsidia Cæsarianorum invaserunt, subitóque exarsit bellum: Diffidens igitur Germanicus salvo conductui revertebatur ad suos, retentusque est Astæ, per Franciscum Estensem Præsidii Prefectum: Causæ prætendebantur, Quia Securitatis conceſſio intelligenda erat, rebus in eodem statu manentibus, at hic sequuta erat maxima rerum novatio, factio, & culpa militum Regis Galliæ. Intererat etiam Cæsaris, eum detineri, quia Astæ præsidium circumspexerat, & munitionum defectus observaverat. *Petrinus Bellus* tamen, Ferdinando, & Francisco Ducibus suasit; Fidem Principis nec cavillationibus obtegere, nec argumentis subvertere fas esse;

esse; Neque id ferre decorum ei, qui & fidem dederat, & detentionis, ac liberationis esset arbiter; quibus obtinuit, ut Germanicus dimitteretur, sed aliquanto seriùs, propter debilitatem castrorum Astensium, & præsidii.

Vide *Petrin. Bellum part. 9. tit. 1. num. 30.*

24. *An dimissus sub conditione revertendi, si alter pro ipso non reddatur; teneatur reverti si alter interim moriatur?*

GUicciardinus, & *Iovius* referunt Balioneum quendam, captum, dimissum sub conditione revertendi, si non alter utpote Titius, pro eo redderetur, & Balioneum Titium ad hostes eousque deduxisse, quo sine Caduceatore proficisci poterat, illic autem dum Caduceatorem expectat à Duce, qui se dimiserat, & cui Titius reddi debebat, minorem Ducem irritam voluisse permutationem, & interim Titium fuisse mortuum. In quo casu, *Gentilis* ait, quòd hic nihil contra Balioneum dici possit, cum sit pro regula: Quoties per eum, cujus interest conditionem impleri, non stet quo minus impleatur, perinde haberi ac si impleta

fuisset. *Grotius* vero ita statuit, Quod factum tertii liberaliter promissum, satis impletur, si nihil omissum sit ex parte promittentis, sed quod in onerosis promissis, obligetur ad id, quod tantumdem valet; unde in quæstione, non tenetur dimissus se custodiæ reddere, neque enim id actum intelligi patitur favor libertatis, sed ejus quod præstare potest, æstimationem præstare debet.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 15. Grotium, lib. 3. cap. 21. §. 30.*

25. *Virum tempus Induciarum à momento, vel à die sit computandum?*

INduciæ quinquennales inter Philippum Hispaniarum Regem, & Henricum Francorum, ultra montes, quinto die Februarii, anno 1555. pactæ sunt; in quibus cautum erat, ut ab eo die bellum suspenderetur. Eodem die Dominus de Brissac, Dux exercitus Francorum citra montes, Vignale præsidium Hispanicum expugnavit: Quærebatur, an Præsidium à Gallis retineri posset, quasi captum durante bello? An restitui deberet, quia captum cum bellum per inducias suspenderetur? Quod retineri potuit, videbatur,

tur, Quia, Ab eo die, id est, post diem finitum bellum suspendebatur : Contra restitui debere, quia verba; Ab eo die (uti Jurisconsulti asserunt) possunt intelligi ab eo die inchoato, ita ut totus dies includatur, quodque in favorabilibus, (cujusmodi sunt effectus induciarum, cessatio scil. ab armis, & retentio possessionis)hæc plenior interpretatio admittenda est. *Petrinus Bellus* censuit, à Momento esse computandum, Quia ut iniquum est, quod perfectis induciis, bellica tractentur; ita absonum, non licere facere, quæ ad bellum pertinent, donec induciæ concludantur. *Grotius* de tempore quo Induciæ terminentur, ita statuit. Tempus induciis præscribi solet, aut continuum, ut in centum dies, aut cum designatione termini, veluti usque ad Kalendas Martias : In priori casu ad momenta temporum facienda est numeratio : Id enim naturæ convenit : Nam quæ fit ad Civiles dies computatio, ex Legibus, aut moribus populorum venit. In altero genere dubitari solet, Vtrum Dies, aut Mensis ad quem dictum est, duraturas inducias, comprehensus intelligatur, & videtur comprehendi; Vt Si quis dixerit, ut intra diem mortis ejus aliquid fieret, ipse quo-

que dies, in quo quis mortuus est, numeretur: Ita Spurinna Cæsari prædixerat periculum, quod non ultra Idus Martias proferretur, & interpellatus ipsis Idibus, dixit venisse quidem, sed non præteriisse: Quæ Interpretatio, inquit, multo magis sumenda est, ubi temporis productio favorem in se habet, utpote in Induciis quæ humano generi parcunt.

Vide *Petrinum Bellum, part. 5. tit. 3. num. 16. Grotium, lib. 3. cap. 21. §. 4. Gentilem, lib. 2. cap. 12.*

26. *An qui post tempus Induciis præstitutum, ex necessitate in loco hostili repertus est, belli incommodis sit obnoxius?*

IN Pacto induciarum continebatur, ut Hostis qui nobiscum erat, ante Idus Martias è portu solveret; Aliquis adversa valetudine, vel tempestate abnavigare impeditus, vel vento in portum relatus est: Deinde iterum post Idus Martias exire voluit, Quæritur, An beneficio induciarum uti possit? Respondit *Bartolus*, his ipsis terminis, Repertum in portu hostem, impune occidi posse, nec curandum esse de modo, quo ultra tempus retentus est.

Besol-

Beſoldus, repudiata tam inhumana ſententia, utpote ab æquitate naturali remota, & à Juris textibus aliena, illi jus induciarum tribuendum, nec caſum improviſum quicquam obeſſe contendit. Hac tamen limitatione adhibita, niſi ita ſe arctâſſet, ut neceſſe eſſet, illum in talem caſum incidere. *Grotius* vero, cum *Bartolo* conſentit, & ait, quod in caſu hujus quæſtionis, propriè de pœna non agitur, ſed de jure, quod certo tempore interquieſcebat; unde hic, par ei videtur, qui cum in pace veniſſet, repente bello exorto, inter hoſtes fato ſuo deprehenditur, ſed quin talem, inquit, remittere, benignius, & generoſius ſit, dubitationem non habet.

Vide *Bartol. in Repetit. L. Cæſar, num.* 15. *D. de Publicanis. Beſoldum de Pacis jure, cap.* 6. *num.* 5. *Gentilem, lib.* 2. *cap.* 13. *Grotium, lib.* 3. *cap.* 21. §. 9.

27. *Vtrum Inducias violatas, intra tempus Induciarum ulciſci liceat?*

CVm induciarum tempore, Carthaginienſes diſjectam vi tempeſtatis Romanam claſſem, invaſiſſent, & intra eaſdem inducias, Carthaginienſium Legatos fortuna Africano majori in manus

objeciſſet : Præfatus, eos non inducia-rum modo fidem, ſed etiam jus gentium violâſſe, Nihil tamen ſe facturum dixit inſtitutis Populi Romani, vel moribus ſuis indignum. Et verò è Jureconſultis aliqui negant, violatis induciis ex altera parte, ex altera violare licere, ſed ſuffice-re quod finitis induciis ulciſci fas ſit. Alii aliter ſtatuunt, maximè in Induciis longi temporis, & in locis propter vicinitatem offenſioni opportunis : Ne melior ſit con-ditio fœdifragi, & perfidi, quam fidelis, & juſti. Africani exemplum, urbanitati ma-gis, quam juſtitiæ tribuunt.

Vide *Petrin. Bellum, part. 5. tit. 3. num. 1. & DD. ab eo citatos.*

28. *An mulieres captæ pretio ſint re-dimendæ ?*

CVm Hiſpani peterent mulieres ca-ptas ab Italis ſine pretio ſibi reddi, Itali hoc ſe facturos negabant; Pro Hiſpa-nis ratio fuit humanitatis, & mos anti-quus, ut imbelle genus cenſeretur, omni vexatione indignum : Pro Italis recens clades Romana fuit, in quâ puellas, etiam infantes ab Hiſpano auri mulcta redeme-runt;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [352] - 322
PUBLIC DOMAIN

runt; *Gentilis* dicit jus pro Italis fuisse, qui exemplum injustitiæ quod Hispani dederunt, Hispanis reddere potuerunt. Nobilis autem erat Regis Gallorum definitio, quâ & approbata fuit justitia Italorum, & defensum unâ jus istud quod dicimus fœminarum; Nam Rex pecuniam Italis largiebatur, & Hispanis fœminas liberaliter restituit.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 2. vel 21. q.*

29. *An qui in justo prælio capti sunt, majori pretio, quam qui aliàs in bello capti, redimendi sint?*

BElLo Neapolitano inter Ferdinandum Regem Hispaniæ, & Ludovicum XII., Galliæ Regem, de Gallis ad Rubum captis; uti refert *Mariana*, magno animorum motu utrinque disceptatum est: Convenerat inter Exercitus, ut Equiti capto, equo, & armis detractis, libertatem redimere fas esset annui stipendii quarta parte exolutâ; ceperant Galli diebus superioribus Theodorum Bocalum Epirotarum equitum Ducem, Diegum Verum, rei tormentariæ magistrum, atque Escaladam centuriæ Hispanorum

Præfectum, alioſque ad triginta, & cæteros quidem miſſos fecerunt; qua lege & pretio erat conſtitutum, hos tres verò retinuêre, cauſati Duces eos eſſe, neque debere communi lege comprehendi, quorum eſſet dignitas major, eos à vulgi conditione eximendos videri; Nunc quaſi ſui obliti, poſtulabant tamen Gallos ad Rubum captos, pacto prius pretio dimitti, non conſiderantes, viros primarios eſſe pleroſque, eoſque eſſe Ordinum Ductores, Præterea, Gonſaluo Hiſpanorum Imperatori renuntiatum, Legem eam militiæ Neapolitanæ, quarta ſtipendii parte equitem redimi, non extendi ad eos, qui in juſto prælio, aut oppido per vim capto in poteſtatem veniſſent. Conſulti milites veterani, nobileſque Provinciæ provectæ ætatis, Non aliter Provinciæ moribus obſervatum reſponderunt. Verum an ad gratiam, inquit author, curioſè non inquirendum arbitror; In eam certe ſententiam reſponſum Gallis eſt datum, ut Captivi de libertatis pretio cum iis conſtituerent, in quorum poteſtate erant, neque communi cæterorum privilegio ſe tuerentur, In quo non lucro paucorum conſultum arbitratur, ſed eo prætextu cautum; Ni viri pugnaces prælio intereſſent, quod ut res

ſe dæ-

se dabant, brevi de rerum summa futurum videbatur.

Vide *Marianam de Rebus Hispan. l. 27. cap. 18.*

30. *An miles privatus id quod hostis ob redemptionem pactus est, præstare teneatur?*

CVm à Lusitanis, tres capti essent, & unus ex conditione missus, ut pecuniam pro tribus afferret, & nisi rediret, duo pro eo quoque pecuniam darent, isque reverti noluisset, & ob hanc causam, illi pro tertio quoque pecuniam solvissent, *Servius* Jurisconsultus respondit, æquum esse Prætorem in eum judicium reddere. Quia inquit, *Gentilis*, ille redire tenebatur, nam nisi teneretur, negotium inutiliter gestum fuisset. Est tamen magna altercatio interpretum, An miles privatus, dimissus, fide data, de solvendo pretio, aut de redeundo ad hostem hoc pactum servare teneatur. Nam *Bartolus, Baldus, Angelus*, & alii, negant quidem, pactum servari oportere, quorum opinionem *Zazius* in disputatione contra *Eckium*, acriter, & latè defendit. Contrarium tenent *Decius, Alciatus, Duarenus, Covarruvias, Garsias, Hotomannus*, & *Badinus*, qui dictum *Bartoli* levius esse ait,

quam

quam ut refelli debeat, sed & in contrarium est Consuetudo, uti testatur *Fulgosius*. Laudatissimus habetur *Regulus*, ob sic servatam fidem, & à Romanis ad Annibalem remissus miles est, qui sic fidem datam fallere conatus est. Concedunt tamen *Covarruvias*, & *Garzias* si quid promissum sit contra jus publicum, aut militare, promissionem servandam non esse, in quibus *Gentilis* ponit, si quis promisit non militare pro suo Principe, aut patria, Nam etsi teneat pactum de revertendo ad Hostes, per quod quis se eripit Principi, aut patriæ, hoc tamen est, quoniam etiam per Captivitatem ereptus est, Nam ut quid non sit, contra utilitatem publicam concedi potest, sed ut quid sit, & partibus suis non fungatur, concedi non potest, nam contra naturam id est, *Grotius*, cum *Gentili*, contra *Bartolum* censet, & miratur, inventos juris magistros, qui docerent, pacta publicè cum hostibus inita fidem astringere, at quæ à privatis non item, Nam cum privati jura privata habeant, quæ obligare possunt, & hostes capaces sint acquirendi juris, quid esse potest quod obligationem impediat? At quousque se extendat privatorum potestas, in paciscendo

difficilior, inquit, est inspectio, Et quoad pactum; Ne quis, adversus eum in cujus potestate est, militet, quanquam alii pactum, irritum pronuntient, quia est contra officium quod patriæ debetur, Ille aliter statuit. Quia non quicquid contra officium est, id statim irritum est, sed & quia contra officium quidem non sit, libertatem tibi parere, id promittendo, quod jam est in Hostis manu. Nihil enim, inquit, deterior fit patriæ causa, cui is qui captus est, nisi liberetur, periisse censendus est.

Vide *D. de Negotiis gest l. 21. Gentilem lib. 2. cap. 11. Hotomannum quæstion. illust. 7. Grotium lib. 3. cap. 23. §. 1, 5, & 8.*

31. *An Conditiones deditionis in Duce concessæ, à suprema potestate præstandæ sint?*

CVm Maharbal Romanis quibusdam, qui ex prælio ad Thrasymenum evaserant, fidem dederat, non tantum vitæ servandæ, sed si arma traderent, permittendi abire cum singulis vestibus, Annibal qui longè satis tunc aberat, eos postea detinuit, causatus in potestate Maharbalis non fuisse, ipso inconsulto fidem dare se dedentibus, quâ ipsos illæsos, aut

inde-

indemnes præstaret, de quo facto *Livius* judicium suum sic exponit. Punica fide, & Religione id ab Annibale factum. At cum Sophonisbæ, quæ in bello capta erat, à Masanissa Duce libertas concessa fuisset, Scipio censuit, de ea Senatus, Populique Romani judicium fuisse, ideoque à Masanissa quo Duce capta erat, libertatem ei dari non potuisse. *Grotius* sic definit; Homines, agros & bello quæsitos, concedere Ducum non est. At nondum quæsita condonare, omninò est in potestate Ducum, Quia oppida pleraque, & Homines sæpe se dedunt, sub conditionibus vitæ salvæ, aut & Libertatis, & bonorum, de quibus summæ potestatis arbitrium exquiri res plerumque non patitur.

Vide *Grotium lib. 3. cap. 20. num. 9. & annotat. ibid. Camdenum Eliz. anno 1594.*

32. *An serius se dedentes sint recipiendi?*

IOnes ubi audiverunt Lydos à Persis victos, Legatos miserunt ad Cyrum, ultro postulantes, ut iisdem conditionibus eos admitteret, quibus Crœsi subditos in deditionem accepisset, Cyrus verò iis sic respondit; Tibicen quidam, cum pisces in mari conspexisset, tibia canere cœpit, ratus

ratus eos ad cantus ſua vitatem in terram progreſſuros, ſed ſpe ſua fruſtratus, miſſo in mare verriculo, ingentem piſcium numerum comprehendit, & traxit in terram, Et cum palpitantes cerneret. Temperate, inquit, quæſo, à ſaltationibus, quando non libuit me canente, ſaliendo progredi. Quæ dixit, inquit *Herodotus*, quod Iones prius, ipſo Cyro per Legatos flagitante, ut à Crœſo deſciſcerent, pertinaciter renuerunt, at tum rebus ex ſententia non ſuccedentibus parati eſſent Cyri imperata facere. Eo animo Dux Albanus Proſperum Columnium reprehendit, quod arcem quæ jam fuiſſet tormentis diverberata, in deditionem acceperat, quia indignos cenſuit, quorum vitæ, aut bonis parceretur : Scipio autem admotis jam ſcalis ad mœnia urbis Hiſpaniæ, Oppidanis per Caduceatorem abitum pacatum petentibus, annuit, & receptui cani juſſit, & cum auditum non eſſet, nec obtemperatum, ſed urbs vi caperetur, factum emendavit, etiam & punivit ſuos. Et *Cicero* ait, Hi qui armis poſitis, ad Imperatoris fidem confugiunt, quamvis Aries murum percuſſit, recipiendi ſunt.

Vide *Herodotum in Clio. Gentilem, lib. 2 cap. 17.*

33. *An qui militibus libertatem pactus est, Ducem detinere possit?*

NAtalis Comes refert, de Imperatore, qui pactus ut Præsidium abiret, Præfectum retinuit; Cavillatione absurda, inquit *Gentilis*, quod, ut in familiæ appellatione Paterfamiliâs, ita Præfectus est in præsidio, & præsidii appellatione continetur.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 15. Grotium, lib. 3. cap. 21. §. 5.*

34. *An qui pactus est Exercitum abire, subditos suos in exercitu militantes detinere possit?*

HIspanus cum pepigisset, ut Exercitus Gallicus ex regno Neapolitano abiret, id pactum de Neapolitanis qui erant in exercitu Gallico, intelligendum negabat, & juste uti censet *Gentilis*. Quia etsi non potuerit quicquam gravius statuere, propter regni illius jus maximè controversum, retinere tamen potuit, quos suos existimabat, & Galli debuerunt in pactione de Neapolitanis mentionem expressam facere, quia adhærentes in pacto,

pacto, nisi expressi sint, non continentur.

Vide *Guicciardinum*, *lib.* 6. *Gentilem lib.* 2. *cap.* 18.

35. *An iis qui fidei, & clementiæ sese dedunt, vita sit præstanda?*

CIvitas Faliscorum, quæ aliquoties rebellaverat, semperque adversis præliis confusa fuisset, tandem Quinto Luctatio Consuli se dedere coacta est, Adversus quam Populus Romanus sævire cupiens, postquam à Papyrio, cujus manu, jubente Consule, verba deditionis scripta erant, edoctus est Faliscos non potestati, sed fidei Romanorum se commisisse, omnem iram placida mente deposuit, & viribus odii, non facile vinci assuetis, ut ait *Valerius Maximus*, ne Justitiæ deesset, obstitit. Et uti refert *Diodorus Siculus*, cùm post fusum Athenienſium exercitum, à Syracusanis deliberatum est, quid de captivis fieret, & alii ad unum omnes trucidandos censerent; Senex quidam Nicolaus nomine, pro humanitate erga eos extendenda differens, dixit, Tradiderunt se cum armis, confisi clementiæ victoris, quare indignum esset, eos decipi spe nostræ humanitatis; & postea, Quis unquam

unquam Græcorum, Eos qui se clementiæ victoris permiserunt indeprecabili supplicio puniendos censuit. Cum tamen Phanæas Ætolorum (qui se suaque fidei Populi Romani dedissent) Legatus, Manio Romano Consuli postulanti, ut quidam belli incentores, sibi sine mora derentur, respondisset: Se non in servitutem, sed in fidem tradidisse, & quod imperabatur, non esse moris Græcorum; retorsit Consul, Se nihil curare, quid esset Græci moris se more Romano imperium habere in deditos, suo decreto, & catenis Legatos vinciri jussit. Quod iis qui ita se dedunt, vita sit præstanda, facit quod tradit *Baldus* Jureconsultus, qui ait; Si hodie aliqua Civitas exemplo antiquæ deditionis, alteri se dederet, ut posset victor de ea facere quicquid liberet, non deberet tamen vitam adimere; Et Alii affirmant, Si quis se remittat bonæ gratiæ alterius, non poterit corporaliter offendi: Eo enim, quod ita se committit, censetur tacitè actum, quod fiat gratia, atque idem esse, si se submittat alterius voluntati: De quibus *Petrinus Bellus*, ista, inquit, sunt valdè pertinentia ad rem bellicam, propter istos deditios, qui cum præsidium sibi commissum,

sum, ultra tueri non valent, dedunt se, ad discretionem, & quandoque alii furcis suspenduntur, alii deportantur ad triremes, quod non debet fieri; Nam discretio importat arbitrium boni viri. *Gentilis*, qui de interpretatione hujusmodi verborum in Deditionibus consuetis, latè disputat, de omnibus concludit ad vitam saltem tuendam, esse extendenda. Monet tamen se non loqui de Subditis, illi enim etsi arbitrio sese dedunt, multo efficacius se submisisse videntur. *Grotius*, ex verbis Manii Consulis, etsi Legatos Ætolorum demisit, infert, quantum impunè, & non violato jure gentium, facere possit, in cujus fidem populus aliquis se permisit, atque affirmat, iis verbis, nihil aliud quam meram deditionem intelligi, neque fidei nomen, iis in locis aliud significare, quam ipsam probitatem victoris, cui se victus committit; deinde affirmat, se existimare non referre, an dedens se, dicat, se dedere alterius sapientiæ, an moderationi, an misericordiæ, hæc enim omnia blandimenta sunt, pro qua opinione facit, quod ex *Polybio* affert; Apud Romanos idem valent, Se in fidem alicujus committere, & victori de se statuendi libe-

liberam potestatem facere. Ad officium vero ejus cui facta est deditio, refert illud *Senecæ*, Clementia liberum arbitrium habet, non sub formula, sed ex æquo & bono judicat, & absolvere illi licet, & quanti vult, taxare litem.

Vide *Valerium Maximum lib. 6. cap. 5. Petrinum Bellum, part. 2. tit. 3. §. 5. in fine. Gentilem lib. 2. cap. 17. Grotium, lib. 3. cap. 20. §. 50. & annot. ibid.*

36. *An dedentes se pacti de vita, vel incolumitate, servi fieri, vel captivi detineri possint?*

CArolus V. Imperator, Lantgravium qui fide accepta de incolumitate, ipsum accessit, custodiæ demandavit, & dictum est apud *Iovium* fide integra servos factos à Turca, qui incolumitatem pacti erant, quæ fieri non debuisse videbantur, Quia non multum à specie servientium differunt, quibus non datur facultas recedendi, Et servitus in jure mors est, vel morti æquiparatur. *Gentilis* ait, Quod pactus de vita tantum, potest servus fieri, nam subtilitas est juris civilis, quæ servos pro mortuis habet, & multo magis poterit captivus haberi, qui servus non

non est. Quod à *Gonzaga* factum à *Iovio* perhibetur : at non probat servos factos à Turca, qui incolumitatem pacti erant, quia, in hoc verbo, aliquid amplius quam in vita, videtur esse, sed & notatum ait factum Caroli V., qui eum, cui fides data est de incolumitate, incarceravit.

Vide *Gentile, mlib. 2. cap. 17. Iovium, lib. 37.*

37. *An mulieribus quibus permissum, secum portare quod possent, viros exportare licuerit ?*

CVm Rogerius Rex Siciliæ, & Pontifex Romanus, Guelfonem Bavariæ, ad concitandum bellum contra Conradum III. Augustum, excitassent, cum eo signa contulit Henricus Cæsaris filius, in oppido Gibellino natus, quo etiam, memoria natalium, velut gentilitio nomine, gaudebat ; In ejus acie Iô Gibelline ! in altera Iô Guelfe ! clamabatur. Hoc bello cum Cæsar victor oppido capto, in viros durius consulere statuisset, mulieribus emigrare promisit, rerum suarum jure concesso, quantum quæque posset humeris efferendarum. Flagrantissimus verò amor, & menti consilium & infirmitati robur

ti robur dedit, Viros exportarunt, hoc egregio dolo, se captum, deluſumque Cæſare non indignante, victor etiam, victum Ducem poſitis armis in gratiam recepit: Nomina tamen manſere, & ex eo tempore ſervatum, ut Guelfi Pontificum, Gibellini Cæſarum partes dicantur. Hæc *Paulus Æmilius*, de facto mulierum, *Gentilis*, Pia fraus inquit, Nam quæ animalia ſunt, ducuntur, aguntur, non portantur, quod non per deridiculum, & per calumniam tamen intelligendum.

Vide *Paulum Æmilium l.7. Gentilem l.2. c.17.*

38. *An pacti exire cum veſtibus, cum armis exire poſſint?*

CHoronenſes Chiis, qui Leuconeam ipſis eripuerant, bellum intulerunt, quorum viribus obſiſtere cum Chii nequaquam poſſent, his conditionibus deditionem fecere, ut ſibi cum Chlamyde, & ſingulis veſtibus urbem egredi liceret, quo audito, Chiorum mulieres, graviſſimè viros accuſabant, quod relictis armis, nudos ſe armatis hoſtibus credere ſtatuiſſent, cumque illi ſe jurejurando aſtrictos, non amplius decernendi compotes eſſe dicerent, mulieres arma nequaquam dimittenda

mittenda ſuaſerunt, præſertim cum & datæ fidei ſuæ rectè conſulere poſſent, ſi dicant hoſtibus haſtam pro tunica, & clypeum pro chlamyde viris fortibus eſſe. Harum conſiliis viri aſſentientes, ſtatuto ad profectionem die, armati ſubito in medios hoſtes prodiêre, quorum audaciâ illi perterriti, cum egregiè inſtructos atque ad omnia paratos conſpicerent, neque illorum iter demorari, neque adverſum eos procedere auſi ſunt, benè ſecum agi exiſtimantes, ſi illi, cætera omnia relinquentes, diſcederent. Apud Egeſippum miles Romanus dicebat, Aliis arma onerì ſunt, nobis integumento, & cum Sabinis portæ proditæ ſunt à virgine Tarpeia, Capitolio præfecti filia, quæ pretium proditionis quæ gerebant in ſiniſtris petierat, dubium clypeos, an armillas. Illi ut fidem ſolverent, & ulciſcerentur, clypeis obruere. *Gentilis* vero aliud veſtes, aliud arma ſignificare, ex jure oſtendit, & in hujuſmodi pactionibus arma à veſtibus diſtingui ſolere, & quod lingua vulgari, & intelligentia communi uſurpatur, obſervandum eſſe.

Vide *Plutarch. de clar. mulieribus. Gentilem, lib. 2. cap. 17.*

39. *An licentia perſonis conceſſa ad bona extendatur?*

CAſtellano, qui arcem dedit, ſecuritas data eſt, ut liceret abire cum ſuis ſociis, & cum ſuis bonis, quærebatur, an etiam ſocii cum ſuis bonis abire poſſent? Reſpondit Florianus Duci Carmagnoliæ, ab eo conſultus, ſecuritatem non extendi ad bona ſociorum, propter poſſeſſivum Suis, quod dominium importat. Quæ opinio *Gentili* non placet, qui rogat, an ſociis eundum ſit nudis, & ſi Caſtellano data licentia etiam rebus Caſtellani competat, cur non ſociis data, competat etiam rebus ſociorum? Illi itaque videtur verbum Cum ſuis bonis ſic capiendum, Cum ſuis quiſque bonis.

Vide *Petrinum Bellum part. 9. tit. 1. num. 24. Gentilem lib. 2. cap. 14.*

40. *An deditio partis proſit reliquis?*

CVm urbs quædam ab Alexandro obſideretur, pars deditionem fecit, & portas urbis Alexandro aperuit. *Curtius* ait, Alexandrum, aliis, etiam belli authoribus, peperciſſe, quibus jure belli, merito iraſci poterat: & Cortonenſes, uti narrat *Iovius*, cum à Vaſtio Regis Hiſpani præ-

præfecto obsiderentur, vel nolente præfecto præsidii, se dediderunt, quæ deditionis formula, ait, excludebat præsidiarios, quos tamen Vastius pro humanitate dimisit, etsi armis exutos, quoniam potentis exercitus vim contempsisse videbantur. Si in commune consultum est, inquit *Gentilis*, quod sæpe contingit, cum obsessi dissentiunt de oppido dedendo, aut de conditionibus deditionis, deditio facta à majori parte, ab omnibus facta habenda est, & omnibus proderit, etiam his, qui contra deditionis sententiam disceptarint, & egerint, sed & cum in commune consultum non est, si aliqui qui deditionem faciunt, pro aliis paciscantur, istæ pactiones, etiam aliis proficient, ut alibi refert *Iovius*, sicut socius, pro socio contrahere potest, cum inter eos causa est communis, maximè in actu necessario, & evidentis utilitatis; quanquam, Si pœna pro deditione, à Principe imponenda esset, singuli qui dissenserunt, excusandi sint.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 17.*

41. *An missus ut de deditione ageret, conditionibus, eo absente, factis teneatur?*

CVm Aurantius pro Rege Hispaniæ Aversam in Italia, quam Salassus

Dux Regis Galliæ cum præsidio tenebat, obsideret, Guido Ranconus à Salasso ad Aurantium missus esset, ut de deditione conditionibus quam posset, honestis transigeret; Isque diutius detineretur, & continuis tormentorum ictibus pars muri corruisset, Salassus militum precibus, & Aversanorum lachrymis fatigatus per alium idoneum hominem, ad arbitrium Aurantii deditionem fecit, quod cum Rancoro innotuit, protestatus est se æquo jure liberum esse, nec ratum habiturum conditiones, quarum beneficio uti nollet. Cumque coram Vastio, alio Regis Hispaniæ Præfecto, An Ranconus jure militiæ captivus habendus esset, disceptaretur, Vastius, inquit *Jovius*, lata super ea re mitiori sententia, ipsum liberavit. Quod etiam jure firmatur, affirmat *Gentilis*, si Is fuisset qui adhuc tueri oppidum, aut se potuisset. Quod etsi definitio plurium teneat, repugnantibus paucioribus, non tamen ea valet, quæ uno absente fit, cujus præsentia potuit in suam sententiam cæteros trahere.

Vide *Gentilem*, *lib.* 2. *cap.* 17.

42. An

42. *An Error circa Executionem deditionis, ipsam irritam faciat?*

VAlerius Vrsinus, Hispanis sic se dederat, ut in castra Gallica, tutò deduceretur, Hispani postea captivum detinendum asserebant, hoc colore, quod Gallica castra, tum temporis nullibi erant; propter virtutem tamen viri, ipsum dimiserunt, uti refert *Iovius*; *Gentilis* vero etiam de justitia ipsum dimittendum fuisse affirmat, Quia summa pactionis erat pura, ne esset captivus, non sub conditione, si ullibi essent castra Gallica, De castris adjectum pro tuta executione pacti, quia in illis castris, Valerius tutus futurus erat, & quæ dicta sunt ad Executionem, ea non mutant de substantia. Itaque Romani dedentibus se Ætolis, & errantibus, in verbis formulæ deditionis, æquum putarunt statum pristinum restitui.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 17. Iovium lib 26.*

43. *An deditos tanquam Proditores, Is cui deditio facta est, punire possit?*

CVm Præsidiarii, Præfectum qui deditioni consentire noluit, cepissent, atque in vincula conjeciissent; atque ipsi de conditionibus deditionis pacti, se

Solymanno dedidiſſent, Is juſſit Præfectum honoribus affici, deditos autem omnes interfici. Sævam cædem, inquit *Iovius*, immanis Imperatoris juſſu factam, Aliqui non modo juſtè, ſed & ad laudem volunt, quando ſacramentum militiæ non fuit violandum contra Præfectum, Sed tamen Præſidiarii diplomata libertatis obtinuerant, Abrupit igitur Solymannus ſuam fidem, dum perfidiam alienam ulciſcitur. Quid nos, inquit, *Gentilis?* De perfidia illa Solymannus Judex non erat, ſed alius. Et dici tamen poteſt, quaſi transfugas ſic tractari eos à Solymanno potuiſſe, qui de eorum perfidia non noverat antea, cum fugerint ad Solymannum, contra Præfecti authoritatem, & concludit, Mihi opinio iſta placet.

Vide *Iovium lib.* 28. *Gentilem lib.* 2. *cap.* 17.

44. *An fœdera vel ſponſiones Pacis quæ à Ducibus fiunt, Principem, vel populum obligent?*

PActionem illam quam Sulpitius, Tribunus militum cum Gallis fecerat, de Obſidione ab iis relinquenda, Senatum ratam non habuiſſe teſtatur *Livius*, & *Salluſtius* de Pace inter Aulum Exercitus Romani Ducem, & Jugurtham Numidarum

darum Regem, Senatus inquit, uti par fuerat, Decrevit suo, atque populi injussu, nullum potuisse fœdus fieri. Dubitatur tamen, si summa potestas sciverit, & tacuerit, Quo casu distinguendum, an facta sit sponsio sub conditione, si rata haberetur à summa potestate, Nam hæc conditio facit sponsionem nullam, an Sponsio purè facta sit, & tunc si silentio aliqui actus accesserint, qui ad aliam causam probabiliter referri nequeant; rectè intelligetur Sponsio rata habita; Si vero præter silentium, nihil accesserit, rata non habetur. Nam sine re, aut facto aliquo, silentium non satis probabilem voluntatis conjecturam suppeditat.

Vide *Ayalam. lib. 1. cap. 7. num 5. Gentilem lib. 2. cap. 10. Besoldum de Pace cap. 4. num. 1. Grotium lib. 2. cap. 15. num. 15, 16, &c.*

45. *An si Sponsio Ducis summæ potestati displiceat, ii quibus facta est, in eundem statum sint restituendi?*

CVm de Pace Caudina in Senatu tractaretur, Spurius Posthumius, unus authorum Pacis, sententiam rogatus; Mea sententia, inquit, testis erit, Mihine, an Legionibus pepercerim, cùm me, seu turpi, seu necessaria sponsione obstrinxi;

quâ tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur Populus Romanus, nec quicquam ex ea, præterquam corpora nostra, debetur Samnitibus. Dedamur per Fœciales, nudi, vinctíque exolvamus Religione populum, si qua obligavimus. Alii authores, L. Livius, & Quintus Melius, Tribuni plebis aiebant, Deditione sua populum non exolvi, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, restituerentur. Idque Claudius Pontius, Rex Samnitium, cum deditionem accipere recusaret, contendebat, cum diceret; Populus Romanus, si Sponsionis factæ pœniteat, restituat Legiones intra saltum, quo septæ fuerunt, recipiant arma, quæ per pactionem reddiderunt, redeant in castra sua. Tribunorum, & Pontii sententiam æquitati congruere videri dicit *Grotius*, Posthumii autem usu probatum fuisse.

Vide *Livium, Decad. 1. lib. 9. Grotium, lib. 2. cap. 15. num. 16.*

46. *An quæ Captivi paciscuntur, in libertate positi præstare teneantur?*

FRanciscus Rex Galliæ Pace Madriciana, Carolo Imperatori juratus promisit, se cum regni fines primum attigisset, Pacis conditiones ratum habiturum. In Cu-

In Curiam vero Parisiorum veniens, Senatum consuluit, ubi Selva Præses Curiæ, ad infirmandam pacem, Cardinalis Zabarellæ authoritate usus, & exemplo Johannis Regis Cypri, qui à Genuensibus captus fidem non servavit, censuit, & suasit, Quod vi, ac metu factum erat, ratum haberi non oportere; Quam opinionem miratur *Bodinus*, tanti Senatus Principem, non erubuisse, tam ineptis argumentis muniviſſe. Cum revera pugnaret, non solum cum judicio Romanorum, Attilii Reguli, & Mancini Consulis, sed & Francorum, qui Johannem Regem, ob fidem datam Regi Angliæ, cum captivus esset, quod ea quæ promiserat, efficere non posset, in Angliam redire permiserunt.

Vide *Bodinum*, *lib.* 5. *cap. ult. Hotomannum*, *Quæst. illust.* 7. *Gentilem*, *lib.* 2. *cap.* 11.

47. *An cum convenit in Pace, id alicui restituendum, quod ante bellum possedit, de bello incepto, an de bello renovato intelligendum sit?*

IN Capitulis Pacis inter Principem Tridentinum, & Venetos, cautum est, ut sic quisque possideret, uti possidebat, ante proximum præsens bellum. Post

principium belli, Princeps castrum occupaverat, post pactas inducias, renovato bello, castrum à Venetis est recuperatum. Quæsitum est an Castrum, ad Venetos ex pace spectaret? *Alciatus* respõdit pro Principe, Quia proximum præsens bellum videtur, quod post inducias renovatum est: Malè vero eum respondisse censet *Gentilis*, quia idem fuit bellum, etsi à præliis per inducias cessatum sit, & itaq; & proximum, & præsens, & ait non esse novum, quod est renovatum, sed vetus de novo repetitum.

Vide *Gentilem, lil. 2. cap. 12. Grotium, lib. 3. cap. 20. §. 13, & 21. Feschium de Fœderibus. Thes. 21. ad finem. Quæstionem inter Imperatorem & Venetos de locis restituendis. Azasio contra Ruinum disputat. Consil. l. 2. cons. 13.*

48. *Vtrum cum convenit, ut in Pace loca possiderentur, quæ in bello possidebantur, Pagi, & villæ Oppidis vicinæ includantur?*

CVm Galli in Pedemontana regione, loca quædam validis firmata præsidiis, utpote Casalem, & Taurinum, quæ erant Civitates Metropolitanæ, possedissent; Cum Cæsarianis, & Subaudis conventum est, ut durantibus Induciis possiderent, sicut bello possederunt; unde Galli, idem

li, idem jus in pagis, & in villis, quod in oppidis se habere contendebant; Quia loca erant oppidis vicina, ipsis belli tempore paruissent, in functionibus, & muneribus contulissent. Dicebat *Petrinus Bellus*, In acquisitione quæ fit jure gentium, naturale factum, magis quam civile inspici debere, unde ad possessionem, realis, & plena apprehensio requiritur, neque invasione, vel acquisitione partis, sequitur acquisitio alterius partis non invasæ: Neque per præstationes, vel functiones occupatio, vel translatio possessionis acquiritur. Quia ejusmodi actus personas magis, quam loca afficiunt, & actus indifferentes, & promiscui non probant possessionem, nec jus Dominorum pendet à Subditis, qui possidentur inviti.

Vide *Petrin. Bellum, part. 5. tit. 3. num. 7. & DD. ab eo citatos.*

49. *Vtrum cum convenit in Pace de locis captis restituendis, Oppidi quod antiquitus ad regnum capientis pertinuit, restitutio sit deneganda?*

EX tractatu Cameracensi, Caletum à Gallis captum in bello cum Philippo Hispaniæ Rege, & Maria Angliæ Regina, post annos octo reddendum erat, eo

non reddito, Thomas Smithus in Galliam missus, more solenni coram Rege repetiit, Rex rem ad Consiliarios rejecit : E quibus Michaël Hospitalius Cancellarius, in hanc sententiam differuit ; Quo jure Angli repetunt Caletum, eodem etiam Lutetiam Parisiorum eos repetere posse, hanc enim, perinde atque illam, bello acquisiverunt, ac utrumque bello amiserunt; Anglos jus novum in Caletum prętendere Gallorum jus ipsi regno esse coævum. Quamvis Angli 230. plus minus annos possederunt, jus tamen penes Galliæ Reges fuisse, non minus quam Ducatum Aquitaniæ, & Normanniæ, quos Angli armis diu detinuerunt ; Gallos Caletum, uti etiam Ducatus illos, non bello acquisivisse, verum recuperâsse : Præscriptionem temporis inter Principes locum non habere, sed jus valere, & ex duodecim tabulis, adversus hostem æternam esse authoritatem : Anglos in recenti tractatu Trecensi, Caleti ne quidem meminisse, ut agnoscere viderentur, se suo in Caletum jure omnino cessisse ; In eo clausulam de reservationibus jurium, tantum minutiora respicere ; hoc de Caleto inter potissima censendum. Ad hæc Smithu, se non expectâsse, ut tam obsoletum jus

jus ad Caletum, ex profunda antiquitate repeteretur; Jam tandem perspicere, quicquid Galli, quo jure, quâve injuria in possessionem semel attraxerint, id pro suo jure deputare, tanquam jus iis esset solum in armis, & nihil interesset bona, an mala fide possideant, Gallos existimare se Caletum Postliminii jure tenere, quod ex Conventione tenent, & apud animum statuere, pactam de Caleto restituendo fidem, neutiquam præstare. In tractatu Trecensi vendicatum non fuisse, octennio tunc temporis non exacto; & hic assurgens ad Galliæ Consiliarios conversus, vestram, inquit, fidem, qui adfuistis, appello, cum nos jus nostrum ad Caletum disertis verbis reservandum urgeremus, vos omittendum, quia tempus nondum venerat: Annon nunc inter nos convenerit, ut reservaretur, sub illa clausula, omnes aliæ petitiones salvæ, & integræ manebunt?

Vide *Camdenum*, *anno* 1567.

50. *Utrum cum convenit, de Bonis, vel eorum valore restituendis, sufficiat, (cum bona quæ extant, vindicantur) valorem eorum offerre?*

CUm inter Societates mercatorum Angliæ, & Belgiæ in partibus Indiæ

diæ Orientalis, negotiantes, multa damna hinc inde hoſtiliter illata fuiſſent, tandem conventum eſt, ut utrinque ab injuriis, & damnis inferendis abſtineretur: Et ut cum naves, tum bona, vel eorum valor, quæ à tempore initæ conventionis, uſque ad publicationem ejuſdem in iis partibus, caperentur, hinc inde reſtituerentur. Virtute hujus conventionis Mercatores Societatis Angliæ reſtitutionem bonorum petunt, quæ poſt initam conventionem capta ſunt, & in Hollandiam deducti: Delegati ex parte Societatis mercatorum Belgiæ, reſtitutionem non deberi contendunt, niſi in partibus Indiæ, ubi bona capta ſunt, nec ipſorum bonorum, ſed valoris, quanti fuit cum caperentur. Ex parte Societatis mercatorum Angliæ reſpondebatur, Vbi conventum eſt ſimpliciter de reſtituendo, ubicunque bona capta reperta ſunt, peti poſſe, quia Debitorum intereſt, qui ſolvere tenentur, loca & tempora deſignare, alioquin ubicunque, & quolibet tempore, creditores exigendi jus habere: Ad valorem quod attinet, de jure communi, bona, ſi extent, in ſpecie reſtituenda eſſe, & in Conventione, in qua nihil in contrarium cautum fuit, idem obſervandum; Cum poſt conventionem factam

ctam bona illicitè capta haberentur, nec eorum proprietas à prioribus Dominis ullo juris titulo translata fuisset.

Vide *L.* 10, 11, 12. *D. de rei vindicatione*, 168, *&* 75. *D. de verb. signif.*

51. *Vtrum Bonorum, quæ casu fortuito, quem præcessit incuria, perierunt, pretium sit restituendum?*

EAdem conventione inter Societates mercatorum Angliæ, & Belgiæ pactum est, Quod naves utrinque captæ restituerentur, eâdem conditione qua in possessione capientium reperirentur, Ad restitutionem vero navium quæ periissent, neutra pars teneretur, nisi in servitio partis periissent, Et quod Bona restitutioni subjicerentur, quæ ad partem alteram in effectu perveniissent. Ex hac conventione Hollandi, cum navis eorum mercibus onusta, ab Anglis capta fuisset, & per aliquot dies ab Anglis possessa nautarum quorundam culpa, vel incuria, una cum mercibus deflagrâsset, pretii sive valoris navis, & mercium restitutionem petierunt. Quod navis ab Anglis possessa, in eorum servitio haberetur, & quod damnum quod culpa Anglorum contigerat, ipsis, nõ Hollandis incumbere deberet. Ex

parte

parte Anglorum referebatur, Navem in eorum poſſeſſione, ſed non in ſervitio, nec occaſione ſervitii, (quod in conventione intelligi debet) periiſſe. Nec caſum fortuitum, qui culpâ, vel incuria nautarum contigit, ſocietati mercatorum Anglorum imputandum, cum ab iis eadem diligentia in ea nave tuenda, adhibita ſit, quæ in navibus ſuis, & idem infortunium contingere potuerit, ſi navis in Hollandorum poſſeſſione permanſiſſet; Nedum eos teneri de valore bonorum reſtituendo, quod bona, cum nave incendio abſumpta, ad eos in effectu, vel cum effectu non pervenerunt, Nam, prout Jureconſulti definiunt. tunc quid cum effectu ad aliquem perveniſſe intelligendum eſt, quando ex eo locupletior factus eſt.

Vide *Pet. Fabrum ad 1. Contractus. D. de reg. juris l. 11. D. de peric. & com. ad rei venditæ l. 71. D. de verb. ſig. 120. D. de Petit. Hæreditatis.*

52. *An qui Civitatem ſalvam fore promiſerunt, urbem deſtruere poſſint?*

CVm Pœni, poſt tertium Bellum Punicum, Romanorum ſocios bello laceſſiviſſent, & finitimos populos ad defectionem invitâſſent, In Senatu Romano de Carthagine delenda conſulebatur, De quo famâ pervulgatâ Carthaginenſes Lega-

Legatos Romam miserunt, qui orabant, ne urbem rerum ante gestarum gloria clarissimam, ac Romanorum illustrium victoriarum monumentum delerent, Legatis à Consulibus denuntiatum est, ut in fide Senatus, Populique Romani permanerent, Obsidibus trecentis, ac navibus Populo Romano datis, Civitatem Carthaginiensem salvam fore, eosque jura, privilegia, immunitates, easdem habitu-ros, quibus antea semper usi fuissent; Legati, accepto responso, læti domum redierunt. Mox Scipio Africanus junior, accepta classe maturè proficisci jubetur, & urbem ferro, flammâque delere; Scipio secundùm mandata, Censorinum Legatum mittit, qui posteaquam, Obsides una cum navibus recepisset, populum universum, excedere ex urbe jussit, sic tamen, ut quæcunque vellet, exportare, urbemque à portu remotiorem condere liceret: Carthaginienses imperio Ducis perterrefacti, ad fidem Senatus, Populique Romani provocant: Quibus responsum est, Populum Romanum, ea quæ Legatis promissa, præstitisse, Civitatem vero mœnibus urbis minimè contineri. Ita etiam Pompeius, cum ducentos Senatores, ac meliorem Civium partem, ab urbe,

urbe, quam Cæsari reliquisset, seduxisset, dicebat non in parietibus esse Rempublicam. *Modestinus* vero Jureconsultus ait, Si aratrum in Civitatem inducatur, ut passa est Carthago, Civitas esse desinit; Certe non est eadem Civitas, quæ, ne deleretur, Legati orabant, & cujus salutis expectatione Obsides, & naves à Carthaginiensibus tradebantur. Et *Gentilis* ait, Etsi sit differentia Vrbis, & Civitatis, quod urbs ædificia, Civitas incolæ sint, tamen est interpretatio omnis siniſtra, & extranea quæ auribus vulgi non consonat: Nec civitas sine urbe, ædificiis, & mœnibus est, in quibus multa Civitatis ratio est, & addit quod in pluribus tertii belli Punici, Romani defendi vix possunt.

Vide *Livium*, 5. *Decad. ult. Diodorum, lib* 41. *D. Quibus modis ususfruct. amittatur, l.* 21. *Bodinum, lib.* 1. *cap.* 6. *Gentilem, lib.* 2. *cap.* 4. *Grotium, lib.* 2. *cap.* 16. §. 15.

53. *An provocato, pacto Pacis contravenire liceat?*

MArtius Legatus Romanorum, Perseo Regi Macedoniæ, qui fœdus cum Philippo patre initum renovârat, objecit, quod Abripolim Amicum atque Socium Populi Romani regno expulisset: Cui

Cui respondit Perseus, Si est in fœdere ita scriptum, ut, ne si bellum quidem quis inferat, tueri, me, regnumque meum liceat, mihi fatendum est fœdus violatum esse, quod me adversus Abripolim Socium Populi Romani defenderim. Sin autem jure gentium, ita comparatum sit, ut arma armis propulsentur, quid tandem facere me decuit, cum Abripolis regni mei fines pervastâsset, multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pecorum abegisset. Pactum pacis, inquit *Grotius*, admittit, ut si nova causa subsit, vis bellica inferatur, quæ si probabiliter afferri potest, satius est injustitiam sine perfidia, quam cum perfidia admissam credi. Et *Thucydides*, Pacem rumpunt, inquit, non qui vim vi arcent, sed qui priores vim inferunt.

Vide *Livium Decad.* 5. *lib.* 2. *Grotium, lib.* 3. *cap.* 20. §. 28. *Gentilem, lib.* 3. *cap.* 24.

54. *An Obsides dati liberent à fide jurejurando præstita?*

Bodinus Franciscum Gallorum Regem, fœderis Madritiani religione solutum asserit, quod filios Obsides dedisset: Obsides autem, inquit *Ayala*, quem-

admodum

admodum fidejussores, & pignora, principali Obligationi accedunt, quo diligentiùs cautum sit Adversario, & tantum abest, ut principalem obligationem tollant, ut sine eo consistere nequeant: Itaque Johannes Rex Gallorum, in prælio ab Anglis captus, & dimissus, fide data de revertendo, si minus pacta implerentur; tametsi, & ipse filium Obsidem dedisset, ad hostem redire maluit, quam fidem datam violare.

Vide *Bodinum lib. 5. cap. ult. Ayalam, lib. 1. cap. 6. num. 5. Gentilem l. 2 cap. 11. in fine.*

55. *An Obses detineri possit, mortuo eo, pro quo datus est?*

DEmetrius, qui prō Antiochō fratre Romæ Obses erat, cognita ejus morte Senatum adiit; Obsidem inquiens, se vivo fratre venisse, eo mortuo cujus Obses sit, se ignorare: Dimitti igitur se ad regnum petendum æquum esse, quod sicuti jure gentium majori fratri cesserit; ita nunc sibi, qui ætate pupillum antecedat, pupillus cedere debeat. Cum vero se non dimitti animadverteret à Senatu, tacito judicio tutius apud pupillum, quam apud eum regnum futurum arbitrante, specie

ſpecie venandi ab urbe profectus Hoſtiam, tacitus cum fugæ Comitibus navem conſcendit. *Gentilis* ait per leges civiles fidejuſſorem liberari qui ſpopondit Titium non facturum eo mortuo; Alios autem diſtinguere, an dictum ſit Titium Regem Syriæ non facturum, quo caſu liberatur fidejuſſor, moriente Titio, an ita, Syriæ Regem Titium non facturum, quo caſu fidejuſſor non liberatur, quaſi in priori adjectum ſit de Rege ad oſtendendum, qui ille ſit Titius, in poſteriori de Titio ad oſtendendum Regem qui tunc eſt. Ipſe vero non definit an hujus generis diſtinctiunculæ juris civilis, in hujuſmodi juris gentium negotiis locum habeant. Cenſet tamen quod aliquando perſona pacto inferitur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum eſt, ut, cum res etiam ad ſucceſſorem pertinet: Et è contra, etiamſi nomen proprium uſurpatum non ſit, perſonam tamen reſpicere, ut cum factum eſt compromiſſum in Regem, quo extincto, conventio de compromiſſo extincta habenda eſt.

Vide *Juſtinum, lib.* 34. *Gentilem, l.* 2. *cap.* 19. *Grotium, lib.* 3. *cap.* 20. §. 57.

56. *An qui dederunt Obsides, fugientes recipere possint ?*

CVm Romani Porsenæ Regi Hetruriæ de fœdere pacis Obsides dedissent, Clælia virgo una ex Obsidibus, cum castra Hetruscorum, forte haud procul à ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, Dux agminis virginum, inter tela hostium Tyberim tranavit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit; quod ubi Regi innotuit, Oratores Romam mittit, ad Clæliam Obsidem deposcendam, alias haud magni facere, & præ se ferre, si Obses non dedatur, pro rupto fœdere habiturum, sic deditam inviolatam ad suos remissurum, utrinque, inquit *Livius*, constitit fides, & Romani pignus pacis ex fœdere restituerunt, & apud Regem Hetruscum non solum tuta, sed honorata Clæliæ virtus fuit; Nam virginem parte obsidum, qui manserant, donavit, & quos vellet, eligere permisit. Illa, productis omnibus, impuberes elegit, quod & virginitati decorum, & eam ætatem ab hoste liberandam censeret, quæ maximis opportuna injuriis esset *Bodinus* ait, quod semper licuit obsides fugientes necare, etiamsi

etiamsi expressum pactis de hoc non esset : Et sic Tarentini, qui fugere tentarunt, retracti Romam, virgis cæsi, & de saxo dejecti sunt, *Gentilis* idem jus esse dicit, quia Obsides non sunt captivi, quibus fugere licet; Obsides enim dati sunt ex conventione, quam non licet fallere. At *Grotius*, constat, inquit, Obsidi fugere non licere, si ab initio, aut postea, quo laxius haberetur, fidem dederit : Alioquin videtur non is animus fuisse civitatis, obligandi civem, ne aufugeret, sed dandi hosti facultatem qualis vellet custodiæ, & sic ait defendi potest Clæliæ factum; *Gentilis* vero, & *Grotius* ambo concludunt, civitatem quæ dedit, Obsidem recipere, & retinere non debere, non magis quam recipere rem datam pignori citra furti crimen, & proinde Eduardus III. Rex Angliæ Gallum justè accusabat, quod contra jus obsidem fugientem recepisset.

Vide *Livium, lib. 2. Gentilem, lib. 2. cap. 19. Grotium, lib. 2. cap. 20. §. 54.*

SECT.

SECT. X.

De Quæstionibus Delicti inter eos quibuscum Bellum est.

Quæstiones de Delicto inter eos quibuscum bellum est, sunt, in quibus quæritur, An id præstitum sit quod oportuit, in inchoatione, & prosequutione belli, nec non in executione post partam victoriam?

1. *An bellum aliquando omissa indictione movere liceat?*

CVm Gustavus Adolphus Rex Sueciæ Germaniam cum exercitu invasisset, Ferdinandus II. Imperator datis ad eum literis, scripsit, Vehementer se mirari, quod tanto cum exercitu Romanum imperium invasisset, & bello non indicto, tantas turbas excitasset: Quibus respondet Rex, Se non arbitrari, fieri posse, ut præteriti temporis acta Imperatori tam cito excidérent; Ejus castrorum Præfectum, absque ulla belli denuntiatione integrum, & potentem exercitum, sub signis Aquilarum in Borussiam duxisse, toti orbi cognitum, ac perspectum esse; quare se prospicere non posse, quo prætextu denuntiatio belli, quam ipse oblitus erat, à se qui

se qui bellum non intulit, sed repulit, postularet; sibive imputare queat, quod contra omnium gentium jura egerit: Neque enim jura illa exigunt, ut vis injusta, quæ alteri infertur, per fœciales propulsetur, cum natura, & res ipsa, unicuique arma ad salutem in hujusmodi casu expediendam concedat: Neque tamen belli denuntiationem, se prorsus omisisse, quin potius, sedulo cavisse, ne quis se, præter opinionem armis oppressum fuisse, conqueri posset. Nam binis ad Electores literis, & regni sui Consiliario, ad Generalem ipsius misso, disertè testatum fuisse, nisi illata sibi injuria sarciretur, se tandem post æquissimas suas querelas, aliam viam, se, suamque dignitatem tuendi, initurum. De hac vero quæstione Jureconsulti ita statuunt, Sicut citatio in foro civili, ita in bello denuntiato aliquando ex justâ causa omitti potest. Vtpote, 1. Cum suscipitur bellum ex causa necessariæ defensionis. 2. Cum his Bellum infertur, qui jam hostes habentur. 3. Cum contra rebelles, & defectores arma sumuntur, quia cum illis jus gentium non observatur; ita Campanis, & Fidenatibus defectoribus, Romani bellum non denuntiarunt. 4. Fœciales

tradunt, non opus esse amicitiæ renuntiare, cum Legatis res repetentibus, eæ nec redditæ sunt, nec sit aliter satisfactum; Similiter apud Dionem, Cæsar differit, ad movendum Arioviſto bellum absque Senatus, & populi decreto; Qui ait, obstringere bella ad quę parari homines possint, & querelæ, & Indictiones præire, sed alia exoriri, quæ tanquam jusserit necessitas, non possunt in disceptationem adduci.

Vide *Arma Suecica, p.* 54. *Gentilem, lib.* 2. *c.* 2.

3. *An post Denuntiationem bellum statim movere liceat?*

PEtrinus Bellus ingenuè fatetur, se nullibi statos dies inferendi belli post indictionem comperisse. Ait tamen naturali ratione æquum esse, ut aliquod temporis intercedat, quo quis se præmuniat, & defensioni præparet, alias doli accusari potest, qui eodem fere momento bellum indicit, & aggreditur, quamvis paratum se præstare oportet, qui sibi bellum indicendi causam præbuit. Maximè si sit causa recens, ardua, & inexcusabilis. *Gentilis* tradit, Post indictum bellum, expectari adhuc solitum dies tres, & triginta, antequam gereretur. Et fortassis, quod

quod de triduo mentionem facit, originem duxit à Constitutione Imperiali quæ habetur apud Guidonem Papæ, & male egisse Cyrum ait, qui Armenio Regi simul intulit & indixit bellum, & Romanos malè, qui tertium bellum Punicum, momento indictum, & illatum sic gesserunt, & itaque Episcopum quendam Chosroi Regi Persarum rectè dixisse, facere ipsum indignè, qui nullum tempus Justiniano tribueret ad deliberandum, ut, vel de pace inter se convenirent, vel bellum ex condicto gererent. *Grotius* vero affirmat, jure gentium nullum tempus post indictionem requiri, nec Cyrum aut Romanos reprehendit, Agnoscit tamen posse contingere, ut ex naturali ratione tempus aliquod intercedat pro negotii qualitate, puta cum res repetitæ sunt, aut pœna in nocentem postulata, & id negatum non est, Tunc enim dandum est tempus, quo id quod petitum est, commodè præstari possit.

Vide *Petrinum Bellum, part. 2. cap. 8. num. 9. Gentilem, l. 2. c. 1. in fine. Grotium, lib. 3. c. 3. §. 13.*

3. *An in bello Dolo uti liceat?*

CVm Darius Babyloniam obsedisset, difficilisque esset urbis expugnatio,

æstuante Rege, Zopyrus, nasum, labia, & aures sibi præcidi fecit, & transfugæ titulo Babyloniam proficiscitur, & populo ostendit laniatum corpus, de crudelitate Darii querens, & hortatur, ut patiantur, se commune bellum recentiori ita gerere, Nota nobilitas viri, pariter & virtus omnibus erat, nec de fide timebant, cujus veluti pignora, vulnera corporis habebant, constituitur ergò Dux omnium suffragio, & accepta parva manu, semel atque iterum cedentibus ultro Persis, secunda prælia fecit, ad postremum universum exercitum sibi commissum Regi prodidit, urbemque ipsam in potestatem ejus redegit. *Livius* vero claros magis, quam honestos esse ait, qui talia Zopyri admiserint in corpus suũ, ac fraudes transfugiorum, artes esse minime Romanas, & Messala parum honestam rem subverebatur, quod Menedorus proditurus Pompeii classem, petebat, ut aliquantisper sibi liceret infestare classem Cęsaris. *Polybius* vero asserit quæ vi fiunt in bello minoris esse, quam quæ ex occasione, & dolo geruntur, ac *Ammianus* dicit, nullo discrimine virtutis, ac doli prosperos omnes laudari bellorum eventus, & Jurisconsulti bonum dolum vocant, quem adversus hostem quis machinatur. *Gentilis* post-

postquam authoritates in contrarium recensuit, concludit, Quod mirum videri possit. Respondeo juste eos agere, & qui transfugiunt, & qui transfugas mittunt *Grotius* huc etiam refert actus eorum, qui hostium armis, signis, vestibus, velis utuntur. Hæc enim omnia ejus generis sunt, ut à quovis pro arbitrio usurpari possunt.

Vide *Justinum lib.* 1. *in fine. Gentilem lib* 2. *c.* 2, *&* 3. *Et Grotium lib.* 3. *cap.* 1. §. 6, *& seq.*

4. *An apud Hostes falsiloquio uti liceat?*

THemistocles cum vereretur, ne post victoriam Atheniensium navalem, Xerxes adhuc in Græcia subsisteret, atque in novas angustias Græcos induceret, simulata amicitia Xerxen monet, ut festinaret abire è Græcia, antequam exitus ipsi, à Græcis intercideretur; & Ventidius cum exploratores Parthorum nosset, qui ad se transfugæ videri volebant, humaniter tanquam amicos tractans, sinebat se ab illis audiri, quod facturus quid foret, quando aliud cogitabat, ut illi de perceptis quasi consiliis Parthos facerent certiores, qui ad nuntiata pararent se, & ut imparati offenderentur, ubi ipse eos invadere constituisset. Themistocles Hosti, Ventidio contra hostem falsiloquio

sive mendacio usus est. *Augustinus* tamen negat unquam justum esse mendacium, etsi Hostis per illud fallatur, qui alias juste fallitur, sed Regulæ de non mentiendo, Exceptionem, Nisi adversus hostes, addit *Plato*, *Xenophon*, *Philo* inter Judæos, inter Christianos *Chrysostomus*, & Theologi, præter *Augustinum*, ferè omnes, quod & *Gentilis*, & *Grotius* probant. Monent tamen quod de falsiloquio dictum est, ad asserentem sermonem, non ad promittentem referendum. Nam ex promissione jus confertur ei, cui fit promissio, idque etiam inter hostes locum habet.

Vide *Plutarch. Themistoclem*, *Dioni. lib. 49. Gentilem, lib. 2. cap. 5. Grotium lib. 3. cap. 1. §. 17, & 18.*

5. *An veneno hostes tollere liceat?*

CVm Perseus cum Tarentino quodam egisset, ut Romanos veneno tolleret, *Livius* ait, eum non justum bellum animo regio sed per clandestina scelera latrociniorum, ac veneficiorum grassatum esse. *Baldus* vero tradit licitum esse hostem veneno occidere, prout docet *Vegetius*, & quod ad defensionem vetitis armis uti permissum, cum nihil sit illaudabile in via defensionis. De *Vegetii* autho-

authoritate dubitat *Gentilis*, & si quid ejusmodi tradat, id in stratagematis opinatur, quæ jus non faciunt. Et manifeste falsum ait, quod in Bello defensivo permitti traditur, Quia defensio debet esse inculpata. In contrarium affert *L. Flori* authoritatem, qui scribit cum Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixto veneno fontibus, ad deditionem quarundam urbium, Ea res ut maturam, ita infamem fecit victoriam, quippe cum contra fas Deûm, moresque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta arma Romana violâsset. Hujus etiam criminis arguit Hispanos, qui Neapoli obsessi à Gallis, nocte egredientes puteos hosti venenabant, & gnari morbi, antea Neapolitani, postea Gallici nuncupati, & contagionis ejusdem, clam scorta, & ea formosissima ex urbe miserunt, à quibus Gallicus exercitus inficeretur. *Grotius* autem censet, non idem statuendum, de aquis sine veneno corrumpendis, ut bibi nequeant, Id enim perinde habetur, ac si avertatur flumen, aut fontis venæ intercipiantur, quod & natura, & consensu gentium licitum est.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 4. Grotium lib. 3. cap. 4. §. 15.*

6. *An Hoſtem immiſſo percuſſore interficere liceat?*

CVm Porſena Rex Hetruſcorum, ſtudio Tarquinios Romam reducendi, urbis faucibus incubaret, Mucius Scævola Regem per inſidias in caſtris ipſius aggreditur, ibi, cum ſtipendium fortè militibus daretur, & ſcriba cum Rege ſedens pari fere ornatu, multa ageret, eumque milites vulgò adirent, Mucius Scribam pro Rege interfecit, & cum fruſtrato circa purpuratum ictu, teneretur, ardentibus focis injecit manum, terroremque geminat dolo, ut ſcias inquit, quem virum effugeris, idem trecenti juravimus, unde Rex territus, Romanos liberos eſſe juſſit. De quo facto *Seneca*. Facere aliquid in illis caſtris fœlicius potuit, nihil fortius. Alius Romanus, in prælio ſimulans ſe unum ex militibus Mithridatis, prope congreſſus, tanquam quippiam ei dicere cupiens, Regi vulnus intulit & quamplura ejuſmodi exempla *Gentilis* recitat; nec probat tamen, ſed juſtam cenſet Alexandri Magni querelam de nece Patris, per Darii procurationem perpetrata: Cum habeatis arma licitamini hoſtium capita. Laudatque, quod ejuſdem Darii necem parri-

parricidialem immani supplicio ultus est. De facto Scævolæ aliter censet *Grotius*, in quo ipse Porsena nihil agnovit, nisi virtutes. Distinguit tamen inter eos qui cum talia aggrediuntur, nullo fidei vinculo astringuntur, ut subditi in Regem, vassali in Dominum, Milites in eum cui militant. At de his percussoribus quorum facto perfidia inest, aliter censendum ait, Neque enim ipsi tantum contra jus gentium faciunt, sed & qui eorum opera utuntur.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 8. Grotium lib. 3. cap. 4. num. 18.*

7. *An hostium superstitione ad eorum periculum abuti liceat?*

PHilippus Macedoniæ Rex milites suos pugnaturos contra Phocenses lauro coronavit, quod Phocenses, templum Apollinis spoliâssent, & itaque ad aspectum frondis ejus Dei terrerentur, quod evenit; Nam terga illico obverterunt, & cæsi incruentam Regi victoriam tradiderunt. Sic captum in Epiro oppidum inexpugnabile perhibetur, cum proditor illic mersisset in puteo, qui solus potum præbebat, canem, quod Præsidiarii milites Græcæ superstitioni addicti,

citius morituros, quam de aqua contaminata bibituros, se contenderent. *Gentilis* ait, Superstitione Hostium abuti cur non liceat, nulla causa est. Arbitri vero in gallorum præliis, gallum capite mulctare solent, qui allio infectus est, ut alter gallus per fœtorem ex arena profligari videatur. Et Duelli Legibus, quæ virtuti, & honori maximè prospiciunt, improbum habetur, si quis dimicaturus sub veste exteriori, clàm tunica loricata induatur, quô adversarii ictus irriti, & inanes reddantur.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 2. Zonaram, tom. 2. Scander. 5.*

8. *An Ius talionis inter hostes locum habeat?*

CVm ingenti Pœnorum classe circa Siciliam devicta, Duces ejus fractis animis, consilia petendæ pacis agitarent, & Amilcar ire se ad Consules audere negaret; ne eodem modo catenæ sibi injicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ Consuli, injectæ fuissent, & Auno certior Romani animi æstimator, nihil tale timendum ratus, magna cum fiducia ad eorum colloquium tenderet, cum de Belli fine ageret, Tribunus militum, dixit, posse illi merito evenire, quod Cornelio

Asinæ

Asinæ accidisset ; uterque vero Consul Tribuno tacere jusso, isto metu, inquiunt, Auno, fides nostræ Civitatis te liberat ; Claros, inquit *Valerius Maximus*, fecit tantum hostem vincire potuisse, sed multo clariores, noluisse. *Gentilis* vero inter hostes jus talionis licitum esse videtur defendere, & ait; Romani justè captos virgis cædunt, & securi feriunt, quod sui ab hostibus capti immolati fuissent, & filiis Reguli nobilissimos Pœnorum captivos dederunt trucidandos, perdendosque in Patris vindictam, qui Carthagine sævissima morte interfectus fuit : Idem narrat, tractatos à Florentino pessime, etiam suspensos Hispanos, quoniam Florentini alibi pessime tractati ab Hispanis fuissent. Quod refert *Iovius*, & affirmat, Non hic dici valere, Se non illos esse, qui crudeliter egerint, ideoque crudeliter tractandos non esse. Nam unum corpus est exercitus, unum corpus sunt hostes, unum corpus sunt qui ab una parte bellum faciunt. Contra *Grotius* ait, Talionem naturam non admittere, nisi in ipsos qui deliquerunt, nec sufficere, quod hostium unum quasi corpus, factione quâdam intelligas, quia singuli qui non consenserunt, malo afficiendi non sunt ob delictum universi-

tatis; unde *Plutarchus* Syracusanos hoc nomine accusat, quod Hicetæ uxores, & liberos occiderint; ideo tantum quod Hicetas Dionis uxorem, sororem & filium interfecisset.

Vide *Valerium Maximum, lib. 6. cap. 6. Gentilem, lib. 2. cap. 18. Grotium, lib. 3. cap. 11. §. 16. & l. 2. cap. 21. §. 18.*

9. *An in deditos, qui inutili defensione hosti negotium facesserunt, sævire liceat?*

HEnricus II. Rex Galliæ captis Bovinis, nonnullos nimium obstinatos, suspendi jussit, quia contra militarem disciplinam, conati essent locum debilem, quem nullo pacto tueri poterant, contra copias regias propugnare. Et *Iovius* refert, quosdam, deditos arbitrio victoris, quod loca immunita, pertinaciter retinere voluerint, turpi morte affectos: Neapolitanus vero respondit Belisario, Pertinax studium in aliquem, nemo judicet dignum supplicio; Et considerandum quod non absq; certissimo capitis periculo, quis possit locum assignatū deserere, aut statione, vel præsidio decedere. *Gentilis* ait, milites in hujusmodi casibus obstinatos, excusari posse, at ab omni culpa nequaquam liberari,

rari, quia ad impossibilia non tenebantur, nec considerandum, quod miles malè metuat à suo Principe, cum injustitia aliena, non debet hosti esse incommodo.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 16. Grotium, lib. 3. cap. 4. §. 13.*

10. *An eos qui de deditione agentes, interim munitones parant, & hostilia agunt severius tractare liceat?*

RHegio per vim à Ferdinando recepto, Galli omnes de mœnibus præcipitati sunt; quòd, ut cœptas munitiones perficerent, de deditione simulatò egissent, crebrisque colloquiis Regem diu ludificati erant, & quosdam etiam milites ante mœnia tormentis interfeciissent, In eos, inquit *Gentilis*, qui deditionem omninò pepigerunt, & non præstiterunt, meritò aliquando sævitum est, ut, cum Præsidiarii pepigissent Franco, Perpinianum intra triduum dedere, mox de auxilio suis subvenientibus indicant, quod cum Francus cognovit, & fraudem sensit petiti tridui, vi oppidum adoritur, expugnat, fœminasque & impuberes cædit: Cum vero de deditione conventum non est, indignè, inquit, Galli eo supplicio à Ferdinando affecti sunt quoniam tracta-

tractatus ad nihil astringit; nec quicquam est, quod vetet simulare, & per dolum rebus suis deservire. Cædi incautorum militum, aliquid dandum videbatur, sed nec ob hanc Ferdinandus excusandus. Cur enim illi ad mœnia? Si nihil perfidiæ intervenit, sæviendi causa non erat.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 18.*

II. *An cum hoste, qui se dedidit, infido & inconstanti, severiùs agi possit?*

CVm Campsani se Mario dedidissent, eorum oppidum incensum, puberes interfectos, alios venditos, prædamque militibus divisam, *Sallustius* refert; Quod facinus, inquit, contra jus belli, non avaritia, neque scelere Consulis admissum, sed quia locus Jugurthæ opportunus; Romanis aditu difficilis, genus hominum mobile, & infidum, ante neque beneficio, neque metu coërcitum; *Gentilis* contra jura belli ordinaria, factum dicit, à jure tamen singulari, & extraordinario sustineri posse, atque ita Cæsarem, non Numidis, non Jubæ, qui se dediderunt peperciisse, & sævè aliquando Gallos tractasse, ut genti, ad omnia consilia mobili terribilis exempli notam inureret.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 18.*

12. *An*

12. *An captos qui coërceri non possunt, interficere liceat?*

ANgli in nobili illa pugna, Regis Henrici V. auspiciis ad Agincurtum commissa; quâ Gallicum imperium pessum dederunt, cum plures captos haberent, quam ipsi victores, veriti nocturna pericula, selectis nobilioribus, cæteros trucidârunt, factum inhumanum, inquit historia; nec tam cruentum prælium, quam victoria fuit, *Gentilis* inquit, se laudare non posse. Laudat vero Scotos, qui, licet maximum periculum immineret, captivos non necarunt, & Galliæ Ducem; qui ut multitudine captivorum castra exoneraret, generosè dimisit omnes: Quærit tamen, annon causæ sint singulares, propter quas captivi occidantur? & refert Annibalem, à Fabio circumventum, ne quid imminente periculo tumultus esset à captivis, eos omnes qui erant quinque millia, cæcidisse, & centum captivos, cum in prælium processurus erat necâsse, quia, neque fidere potuit iis, nec eos custodire.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 16.*

13. *An*

13. *An bis captis parcendum sit?*

LIgarius à Cæsare captus, dimittendus fidem dedit, se postea contra Cęsarem nihil moliturum, quod cum non præstitisset, & iterum in manus Cæsaris deveniisset, propter ingratitudinem, & perfidiam interfectus est, Et plures iterum captos Idem interfecit, stultitiæ deputans, servare eos, qui non semel adversati essent. Cæterùm, ait *Gentilis*, hoc præcipuè obtinet in mercenariis, nam ut civis vel millies captus, asperiùs tractari possit, nulla causa est, Neq; enim non tueri patriam, aut Principi suo non parere, quisquam obligari potest.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap.* 18.

14. *An Obsides, ob delictum eorum à quibus dati sunt, interimere liceat?*

THraces interfecerunt aliquando Obsides ducentos quinquaginta, Romani Volscos, Auruncos trecentos: At Narseti, bono Duci atrox visum est, de innoxiis Obsidibus supplicium sumere; & Scipio ajebat, Se non in Obsides innoxios, sed in eos qui defeciissent, sæviturum, nec

nec ab inermi, sed ab armato hoste pœnas expetiturum; Si vero qui Obses venit, est, aut ante fuit, in numero delinquentium, aut post fidem à se datam, in re magna fefellit, fieri potest, ut supplicium injuria vacet; ita *Grotius*, *Gentilis* vero ait, Etsi nihil peccarint, justum est, & expedit, ut Obsides puniantur, sic enim, Fides rerum pretiosissima asseritur, & jus militiæ delicatissimum conservatur, argumento, quod pœna est ex Conventione, & ergo justa, sicuti, si ex culpa venisset, aut peccato: *Grotius* ait, ita obtinuisse, cum vulgò crederetur, quemque in vitam suam id jus habere, quod in res alias, atque id jus consensu tacito, aut expresso perveniisse ad Civitatem: At postquam innotuit, Dominium in vitam, Deo exceptum, creditum est, neminem posse, ex pacto, vel conventione, jus cuiquam dare ad vitam, aut suam, aut Civis sui.

Vide *Gentilem lib. 2. cap. 19. Grotium lib. 3. cap. 4. §. 14. & cap. 11. §. 18.*

15: *An in fœminas & pueros bello victos sævire liceat?*

THraces capta Mycalesso, fœminas quoque & infantes occiderunt, narrante

rante *Thucydide*, Idem de Macedonibus, cum Thebas cepiſſent, narrat *Arrianus*, & *Germanicus Cæſar*, ut refert *Tacitus*, cum vicos Marſorum qui Germaniæ populus erant, vaſtavit, non ſexus, non ætas moderationem attulit. *Grypus* vero apud *Juſtinum*, à nullo unquam majorum ſuorum, inter tot domeſtica, & externa bella poſt victoriam in fœminas ſævitum, quas ſexus ipſe & periculis bellorum, & ſævitia victorum eximit: Exempla in contrarium, vel ad ulciſcendum gravem cladem ſuorum, vel ad gravia facinora puniendum referuntur.

Vide *Gentilem lib* 2. *cap.* 21. *Grotium lib.* 3. *cap.* 4. § 9, & *lib.* 3. *cap.* 10. ¶. 10.

16. *An fœminis, quæ armatæ virorum munia obierunt, ſit parcendum?*

AVrelianus Imperator mulieres, quas virili habitu pugnantes cepit, multas cæcidit, alias in triumphum duxit. *Gentilis* non parcendum ait Amazonibus, quales fuerunt, Artemiſia, Zenobia, Victoria, Mater caſtrorum cognominata; non furialibus illis, quæ ad Monam inſulam Suetonio Paulino occurrerunt, non magis quam viro ulli. At Spartani ab Argis

gis oppugnandis abstinuerunt, quia in defensione mulieres erant, quas lædere ignominiosum arbitrabantur, *Gentilis* respondet, in eo quod viros agunt, non sunt fœminæ, aliter facilè esset contra hostes tueri omnia, positis fœminis custodibus, & defensoribus, aitque Spartanos verius ab oppugnatione abstinuisse, quia ignominiosum fuisset, quod metuebant, à fœminis repelli.

Vide *Gentilem, lib. 2. cap. 21.*

17. *An stupra in fœminas bello victas admittere liceat?*

CAptis Thebis ab Alexandro, Timocleam, insignem fœminam Thebanam, Thracius quidam Dux constupravit, quumque post id, eam posceret pecuniam, à muliere ad puteum seductus fuit, in quo dixerat, pretiosiora rerum suarum occultari, Ducemque super os putei, spectandi causa inclinatum, in profundum detrusit, superneque injectis lapidibus oppressit. Ob id facinus adductam ad se in vinculis fœminam, percunctatus est Alexander, quænam esset, Eaque imperterrita; Theaginis, inquit, sum soror, qui contra Philippum electus Imperator, fortiter

titer pugnans, pro Græciæ libertate occubuit, Magnanimitatem mulieris, & constantiam admiratus Rex, liberam eam cum filiis dimisit, Ducem etiam fortassis, quod passus est, meritum, existimans, Stupra certe in fœminas non probâsse Marcellum videbatur, qui antequam Syracusas caperet, dicitur curam gessisse pudicitiæ servandæ, & Ælianus cum narasset, à Scycioniis victoribus, fœminarum, & virginum Pellenæarum pudicitiam prostitutam, exclamat, Crudelia hæc per Deos Græciæ, & quantum memoria complector, nec ipsis Barbaris probata. Et Licet multa exempla sunt in contrarium Ineptus est, inquit *Gentilis*, de *Bodino* loquens qui trahit ad justitiam bellicam, hæc usurpata in bello injustè, Neque hic dat talioni locum. *Grotius* vera ait, stupra in fœminas alii permiserunt, spectantes injuriam solum in alienum corpus, cui injuriæ, quicquid hostile est non subjacere videbatur Alii non permiserunt actum efferatæ libidinis, qui non magis in bello, quam in pace impunitus esse debet, atque hoc jus gentium inquit est, non omnium sed meliorum.

Vide *Curtium lib. 2. Gentilem lib. 2. cap. 21. late Grotium lib. 3. cap. 4. §. 19.*

18. *An*

18. *An Sacerdotes in bello captos durius tractare liceat?*

RIchardus I., Rex Angliæ, Philippum Episcopum Beavoicensem in bello captum, in carcerem, & vincula conjecit, de quo cum Episcopus ad Pontificem Romanum graviter conquestus esset, Pontifex literis ad Regem datis obnixè rogavit ne filium dilectum, personam sacram & pastorem gregis Dominici ulterius detineret, unde Rex Legatum ad Pontificem amandavit, & jussit Pontifici ostendere arma, quibus indutus Episcopus captus erat, Et verbis filiorum Jacobi Patri quærenti, de eorum fratre absente, eum alloqui. Hanc invenimus, vide num hæc sit tunica filii tui. Cui Pontifex respondit, Hæc nequaquam est tunica filii, aut fratris mei, sed alicujus sobolis Martis, & per me, illius intercessione pro libertate sua recuperandâ, si volet, utatur. *Plutarchus* vero narrat; quod Cretenses, cum bellis intestinis colliderentur, à Sacerdotibus omnem noxam abstinuerunt, & Gothi à *Procopio* laudantur qui Sacerdotibus Petri, & Pauli extra urbem pepercerunt. *Gentilis* vero ait, quod de Mulieribus tradi-

tradidit, etiam de Sacerdotibus obſervandum, nimirum ſi tractent arma, iis non parcendum. Nec extra periculum cenſet, etiamſi arma non tractent, ſi per expeditiones, & circa opera belli laborantes, milites ſuos, concionibus, aut verbis excitent, & confirment contra hoſtes, pro quo adducit, quod apud *Æſopum* habetur in fabula, de Tubicine, qui cum exercitu profectus, eo ſuperato, in manus hoſtium incidens, rogavit ne ipſum temerè, & injuſtè occiderent, quia neminem eorum occidit, nec pugnavit quidem, nec quicquam præter tubam geſtabat, cui hoſtes reſponderunt, Ob id ipſi magis moriendum fuit, qui cum ipſe pugnare non poſſet, alios ad pugnam excitaret, ait tamen *Gentilis*, cum hujuſmodi militiæ ſervis mitius agendum eſſe.

Vide *Apophthegmat. Aglic. Camd. Remanent. Gentilem lib. 2. cap. 22. Grotium lib. 3. cap. 10. §. 10.*

19. *An res ſacras, & religioſas in bello violare liceat?*

CVm Titus Hieroſolymam obſideret, cum Ducibus præcipuis de templo deliberationem iniit, quorum alii in ea

ea erant sententia ut belli jure uteretur, nec ulli rei parceret, alii à templo violando, abstinendum censebant, nisi Judæi de templo bellarent, quo casu non templum, sed castellum haberetur, Cæterum Titus, etsi Judæi templo occupato repugnarent, se virorum loco, res inanimatas ulturum negabat, nec tantum opus se crematurum, cujus vastatio Romanis damno, conservatio ornamento futura esset, Quodque postea incendio periit, id pertinacia Sacerdotum, & Judæorum, qui inde excedere recusabant, & furore militum, quem Titus cohibere non potuit, contingebat. *Pomponius* Jureconsultus, ait, cum loca capta sunt ab Hoste, omnia desinunt sacra esse, & idem, sepulchra, inquit hostium, nobis religiosa non sunt, ideoque lapides inde sublatos, in quemlibet usum convertere possumus. *Thucydides* vero, ait, jus fuisse inter Græcos, ut, qui in Hostem impetum facerent, à locis sacris abstinerent, & Alba à Romanis diruta, Deûm templis temperatum est, ait *Livius*. *Gentilis* probat in casibus quibusdam nec templis parcere, utpote 1. si ad usus bellicos convertantur, itaque cum Genuenses fanum Ptolomaïdæ occupâssent, & muniviſſent, Veneti, sano ut ab hostibus

bus profanato non pepercerunt, 2. cum par pari rependitur,& itaque si Græcis incensis Sardibus, causam dederunt incendio templi Cybeles, tum Persæ hoc prætextu postea in Græcia, templa justè cremaverunt, *Grotius* vero ita statuit; Quod licet jus gentium merum sacra non excipiat, & loca religiosa violandi impunitatem indulgeat, violari tamen non possunt, nisi Religione contempta, & quod summa sit ratio, quæ pro Religione facit.


Vide *Zonarum, Gentilem lib.* 1. *cap.* 22. *Grotium lib.* 3. *cap.* 5. §. 2, & 3. *Eundem lib.* 3. *cap.* 12. §. 6.

FINIS.




BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [414] - 384
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [415] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [416] - -

PUBLIC DOMAIN


Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XLI 238 26


IIa. XIII. 25. 2

XLI, 239

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [417] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [418] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 80, [419] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [420] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 80, [421] - -

PUBLIC DOMAIN